Petrvs Thorstenivs

Ivris pvblici et privati convenientiam et differentias principes

Q. D. B. V.

IVRIS PVBLICI ET PRIVATI CONVENIENTIAM ET DIFFERENTIAS PRINCIPES

A. D. APRIL. CIↃ IↃ CCXXXXIIII.

PLACIDAE COMMILITONVM DISQVISITIONI

DISPVTATIONE CIRCVLARI

EXHIBENT

PRAESES

D. CHRISTIAN. LVD. SCHEIDIVS

S. R. M. CONSIL. IVSTITIAE ET P. P. O.

AC RESPONDENS


PETRVS THORSTENIVS

ISLANDVS.

HAFNIAE

TYP. REGIAE MAIESTATIS ET VNIVERS. TYPOGR.
IOH. GEORG. HÖPFFNERI.





Imprimatur.

P. KOFOD ANCHER D.





ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO IN TOGA HEROI

DOMINO

IOHANNI LVDOVICO DE HOLSTEIN

S. R. M. PRIVATAE CONFERENTIAE ET SENATVS SANCTIORIS CONSILIARIO INTIMO, ORDINIS DANEBROGICI EQVITI AVRATO, CVBICVLARIORVM PRAEFECTO, SVPREMO CANCELLARIAE DANICAE SECRETARIO, COLLEGII DE CVRSV EVANGELII PROMOVENDO PRAESIDI, ET GENERALI ECCLESIARVM PER VTRVMQVE REGNVM INSPECTORI

ALMAE VNIVERSITATIS HAFNIENSIS

CORAM

NVMINE REGIO

ADVOCATO INDVLGENTISSIMO

DYNASTAE IN LETHRA &c.

MAECENATI BENIGNISSIMO

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO

HANC DISSERTATIONEM ACADEMICAM

IN SIGNVM ANIMI DEVOTISSIMI

PIETATE ET RELIGIONE SVMMA

D. D. D.

EXCELLENTIAE EIVS ILLVSTRISSIMAE

HVMILLIMVS DEVOTISSIMVSQVE CLIENS

PETRVS THORSTENIVS

Quod ſub eminentiſſimis, EXCELLENTIAE TVAE ILLVSTRISSIMAE auſpiciis in publicum prodeat opuſculum hoc, DOMINE, ingens TVA tum in elegantiores litteras omnes, tum praecipue in iurisprudentiae ſtudium indulgentia atque benignitas effecit. Quemadmodum enim pridem iam in felici illa, quam mirifice exornas, toga, maxuma animi magnitudine res aeterna omnium ſaeculorum memoria digniſſimas ſuſcepiſti, TIBIque Maecenatis nomen non amor magis & ſtudium in eruditos, quam exquiſitiſſima & incomparabilis TVA eruditio conciliauit; ſic ab eo tempore, quo in ILLVSTRISSIMAE TVAE EXCELLENTIAE clientelam Vniuerſitas patria, ac cum ea bonae artes omnes abiere, amare ſaltim & fouere litteras putaſti parum, potius munificentia ſumma, & incredibili prorſus patrocinio quaeuis ſeueriora ſtudia excitaſti, auxilio TVO apud REGEM AVGVSTISSIMVM fouiſti, gratia ſuſtentaſti, ac TVI admiratione omnia florentiſſima ingenia adeo cepiſti, vt toti ſe ad decantandas laudes TVAS hodie conuertere videantur Muſarum alumni. Praecipue autem TVVM id opus eſt, TVA effectum auctoritate, HEROS ILLVSTRISSIME, quod iam in Academia noſtra ali-

qua

qua legum doctrinae impendatur industria, cum superiori aeuo, si non neglecta prorsus apud nos iurisprudentiae cultura fuit, certe quotquot ex nostratibus ii se mancupauerant, quamprimum in vulgaribus subsistere noluere, ad exteros mercatus eius gratia confluere debuerint. Nam quod in hoc nostro bonarum litterarum emporio tam viri celebres adsint, qui iura profitentur, quam cupidi legitimae scientiae adolescentes, qui ab eorum ore pendent, & ad nutum eorum intenti, emensis Mineruae hortis, recto pede ad Themidis fanum transeunt, vndique in vastissimo legum studio formicarum more coaceruantes, quibus & sibi olim ciuibusque prodesse, & existimationem atque famam Danici nominis in omni litterarum genere a maioribus acceptam, si non augere, saltim adiecto veteri gloriae possessioni legum studio conseruare, atque posteris integram relinquere possint; id post paternam DIVINISSIMI REGII NVMINIS curam ipsa, optumus laudabilium actionum arbiter, sera posteritas vel ideo EXCELLENTIAE TVAE ILLVSTRISSIMAE grata mente imputabit, quoniam in illa fortunae TVAE sublimitate earum rerum, quae quidem & ad docentes & ad discentes excitandos spectant, nihil prorsus omittis; sed tam beni-

gne, tam liberaliter, pro perſpicaciſſimo TVO iudicio, quod nihil non in ſalutem reipublicae excogitat, ſuſcipit, exſequitur, ſanctiſſimam iuris diſciplinam, quam multi ſimplices & prorſus albae mentis homines mirum in modum ideo faſtidiunt, quia copioſiſſimam terſioris litteraturae ſegetem, tamquam vaniſſimam pompam rident, in gremium TVVM, protectionemque recipiendam exiſtimaſti, vt ſolo hoc TVAE EXCELLENTIAE exemplo, noſtra aetate iterum comprobetur iſtud, quod toties iam a ſummis in orbe viris olim comprobatum fuiſſe legimus, vbi ad clauum reipublicae ſedent viri diuinarum humanarumque rerum periti, iurisprudentiam, quae ipſa humanarum diuinarumque rerum ſcientia eſt, quae artis iudicandi normam pandit, quae homines omnes in officio continet, quae bonos praemiis afficit, malos poenis coërcet, &, vt vno verbo dicam, humanam ſocietatem conſeruat, negligi non poſſe. Quo ipſo quidem, DOMINE, rem feciſti EXCELLENTIA TVA, NOMINISque TVI aeternitate dignam, illudque promeruiſti, vt Muſae TIBI ſtatuam ponant, niſi Themis illis hoc decus praeripere poterit: Et erit profecto tempus, quod EXCELLENTIAM TVAM ILLVSTRISSIMAM conuincet, non adeo ingra-

tos

tos esse iuris cultores, vt TVA in se merita obliuione perire patiantur, nec ingenii tam infoecundi, vt celebrare ea nequeant. Ego quidem, qui homo infimi inter eos subsellii sum, nec tam eorum, quam mei caussa scriptionem hanc suscepi, vnum hoc, quod grati animi est officium, silere non potui, quod hac TVA benignitate, fauore & indulgentia id effectum, vt in hac studiorum palaestra iuris, quem dicunt, cursum propemodum absoluere potuerim. Quare iam hoc ipso labore exantlato, TVI iudicii erit, aestimare, qua in re laudabilem operam patriae meae nauare possim; mearum enim partium esse duco, promto paratoque animo exsequi quiduis, quod quidem munire mihi viam possit, qua ad TVAE EXCELLENTIAE gratiam itur, illudque per omnem vitam summa fide, religione, pietate agere, ne sedeam veluti ignauus fucus ad aliena pabula. Caeterum DEVM precor ILLVSTRISSIME IN TOGA HEROS, vt EXCELLENTIAM TVAM omni salutis genere cumulatissimam ad Nestoreos vsque annos seruet, vtque felicitates Scipionis Aemiliani tantas fuisse & tanti ponderis legimus, vt nemo vmquam a DEO immortali tantum ausus fuerit vel exoptare tacitus, quantum is ab indulgentissimo illo omnis boni dispensatore

erat

erat consecutus, sic TIBI TVAEQVE GENEROSISSIMAE FAMILIAE tam largos vberesque fortunae cuiusuis generis prouentus, vitam, incolumitatem, perennitatem apprecor; & ex animi sententia opto, vt qui magno in ciuitate viro inposterum bene ominari cupit, Scipiano nomine in HOLSTEINIANVM mutato, similitudinem ab ILLVSTRISSIMAE TVAE EXCELLENTIAE vita, fatis, felicitate mutuare debeat. Vale, MAECENAS INDVLGENTISSIME, & hoc quicquid est humillimi deuotissimique obsequii genus, pro ea, quae TVAE EXCELLENTIAE propria est, beniuolentia aequi bonique consule. Iterum iterumque vale. Scribebam Hafniae XII. ante Kalend. Maii CIↃ IↃ CCXXXXIIII.



PROSCENIVM.

Non dubitamus, quin ad ſolius, quem opuſculum hoc in fronte gerit, tituli lectionem mirentur plerique, *de conuenientia & differentia inter ius publicum & priuatum* diſſertationem a nobis conſcribi. Qui enim in tanta creſcentis in dies eruditionis luce campum latiſſimum, quem maiores noſtri in artibus & ſtudiis liberalibus incultum nobis reliquerunt, mentis ſuae oculis ſubieciſſe gloriantur, longe aliud agendum eſſe cenſebunt, quam vt pertractetur argumentum, in quo alii iam vires ingenii omnes ita videntur exercuiſſe, vt vix noui quid dicendum ſupereſſe poſſit. Sed hi erunt fere, qui dum exiſtimant, ea demum cum laude in arena diſputatoria proponi poſſe, quae tractata hactenus fuere a nemine, & vel ſolius *rubri nouitate* Lectoribus ſaliuam mouent, ſcientias & diſciplinas ſi non iuſtis ſuis incrementis priuant, illud certe ipſis inuident, quod eas, quia vſus cottidiani eſt, hominum generi neceſſarias vtiliſſimasque reddit; ſimiles hominibus ſtolidis, qui curam febrium Medico non amplius honorificam cenſent, quia morbus apud nos nimis frequens eſt, illum vero dignum habent, qui

cum Apolline ipſo & Aeſculapio accumbat, qui forte illis aduerſae valetudinis generibus mederi promittit, quae hactenus vix nomine fuere cognita. Aſt vt fatemur ingenue, alieniſſima nos ab iis ſemper mente fuiſſe, qui illud *nihil dici poteſt, quod non dictum ſit prius* continuo in ore habent, & nil niſi ſterilitatem noſtrorum temporum in ſcientiis & doctrinis nouis inuentis locupletandis dolent immerito; ita ſi in argumento tam trito & vulgari praeconceptam hanc & erroneam opinionem confutabimus, iis etiam ſatisfactum putamus, qui *Iliades poſt Homerum* ſcribere nos exiſtimant. Euoluens enim tot Scriptores, qui vel *de publico*, vel *de priuato iure* aliquid commentati ſunt, ſi non plane ſterilem deprehendi doctrinam, quam pridem fertilitate clariſſimorum ingeniorum excultam putaueram, inueniſſe tamen mihi viſus ſum largiſſimum poſt meſſem aliorum ſpicilegium. Sed illud etiam animaduerti mature, ſegetem dicendorum hic eſſe ſatis magnam, itaque laborandum mihi eſſe ſedulo, vt, quae ab homine tam amplum campum ingreſſo proponi debent neceſſario, ea proponantur breuitate, ne anguſti diſſertationis academicae limites argumenti huius ardui dignitati obſint, nec ipſa parua libelli moles rei tam ſeriae aliquid detrahat. Quare non tam animus mihi fuit ea multis recenſere verbis, quae vel ad communem vtriusque iuris indolem & naturam faciunt, vel ad inſinuandam Legum neceſſitatem, pro dignitate & vtilitate iuris, a Iureconſulto fuſe narrari poſſunt, quam quidem data opera chartae huic, ſumma tamen, qua fieri poterat, breuitate illinire, quicquid veram inter vtrumque ius conſtituere differentiam, & commilitonibus noſtris oc-

caſio-

casionem praebere potest indolem & naturam iurisprudentiae rimando intelligendi, quam diffusum illi amplectantur studium, qui legitimae scientiae opera non perfunctoria & proletaria litare volunt. Quod ipsum consilium etiam laudandum esset, si vel maxume alii ante nos in tractando hoc argumento desudassent. Aeque enim ridiculum ducimus, posthabere ea, quae vtilissima sunt, tantum ob hanc rationem, quod vulgaria nimis, nec ad laudem Scriptori conciliandam apta satis videantur, quam quidem sectari dundaxat ea anxie, quae gratia nouitatis commendantur, viro, cui munus docendi publicum datum est, indignum arbitramur. Quodcumque autem Tuum iam sit de hac opella nostra iudicium, LECTOR BENIVOLE; liberum id in omnibus Tibi esse volumus, vtque ipsimet non solis nitimur antiquorum placitis, sed etiam nostra proferimus in medium, vbi vel numquam antea, vel non rite satis explicatam aliquam quaestionem credimus, sic aequo semper patimur animo, si, quoties leui saltim vsos nos esse penicillo, infirmo argumentorum pondere animaduertis, & a nobis dissenties, & meliora nos docebis.

§. I.

Discrimen I. desumtum est ex natura negotiorum publicorum & priuatorum.

Iuris vocabulum, vti PAVLVS *L. XIV. ad Sabinum* docet esse πολύσημον (a) dupondiis ex *l. 11. & 12. ff. de Iust. & Iur.* notum est omnibus, quibus nec id incognitum, vti *iurisprudentia doctrinam legum* significat, ita proprio & vulgari sensu *ius* & *leges* pro synonymis haberi: cuius rei rationem in verbo *iubeo*, seu, vt veteribus dictum, *iusseo* ipsa exhibet *etymologia Grammatica*. Neque enim *ius*, (quatenus pro *lege*, id est, *regula componendis liberis hominum actionibus praescripta* sumitur,) breuius explicari potest, quam per *iussum Imperantis*. Nimirum *exercitium imperii* omne *in vsu* consistit: Ad hunc autem qui animaduertit, Imperantem dum summam potestatem suam in actum deducit, aliter *personis*, aliter *rebus vti* facili negotio deprehendit. *Res* enim in *dominio* habet, *personas* autem *iussu* suo dirigit, iisque *moralem necessitatem* imponit, vt actiones, quae *potestatis alienae directionem* ferre possunt, ad *praescriptum legum suarum* componant. Nimis iam a scopo nostro remotum foret, & *fundamenta legitimi imperii*, & diuersam *imperiorum indolem ac naturam* recensere. De humano igitur

(a) Qui omnes eius significatus scire auet, consulat praeter alios ERIC. MAVRITIVM *de principiis iuris publici c. 1. §. 1-7.* HAHN *ad Wesenbec. tit. de Iust. & Iure n. 14.* SCHOOK *de iure nat. th. 1. n. 3.* FIBIG. *in iure publ. Semid. I. qu. 1. n. 2.* sed non obliuiscatur etiam adire D. DE LVDEWIG *in Singul. iur. publici c. I. p. 111.* vbi quantum inane multis huiusmodi significatibus a Doctoribus excogitatis insit, more suo solide ostendit illustris vir nuper rebus humanis magno totius reipublicae litterariae, quam mirifice doctrina sua locuplecauit, luctu ereptus.

igitur imperio ſaltim agamus, quod *in ſtatu ciuili*, qui ex Imperantium & ſubditorum ordine conſiſtit, *iuſſu* ſeſe exſerit, & *reipublicae ac ciuitati iura praeſcribit*, vulgo *in publica* & *priuata* ſolita diuidi (b). Scilicet vti *ſocietas*

(b) Addunt alii tertiam ſpeciem *iuris ſacri* ob *l.* 23. *pr. C. de SS. eccleſ.* idque etiam iam *auctoritate XII. Tabularum* confirmatum; De his enim notum eſt illud AVSONII *Eidyl.* 15.

Ius triplex, tabulae quod ter ſanxere quaternae,
Sacrum, *priuatum*, *populi commune* quod vsquam eſt.

Sed neceſſe non eſt, vt *ſacrum ius* vel a *publico*, vel a *priuato* ſeiungamus; quae enim apud nos ad *iura eccleſiaſtica* referuntur, mox *publici*, mox *priuati iuris* obiectum faciunt CVIAC. *L. XV. obſ.* 33. Neque etiam *diuina iura* ab *humanis* in bene conſtituta republica ſeparari vmquam poſſunt. Vnde non ſolum Moſes Deus Aaronis fuit *Exod. IV*, 16. *VII*, 1. verum etiam apud Romanos *Pontificatus Imperio* iunctus erat ſemper. Nec in pretio erat Iureconſultus, qui non omnia iura & diuina & humana cognitione erat complexus. GOTHOFRED. *in not. ad l.* 10. §. 2. *ff. de Iuſt. & Iur.* Quapropter TACITVS exprobraturus in Ateio Capitone ſeruile obſequium *L. III. Annal. c.* 70. *Capito*, inquit, *inſignitior infamia fuit*, *quod* HVMANI DIVINIQVE IVRIS *ſciens egregium publicum & bonas domi artes dehoneſtauiſſet*; idemque Cocceium Neruam *L. VI. Annal. c.* 26. *omnis* DIVINI HVMANIQVE IVRIS *ſcientem*, Vitellium contra *omnis* HVMANI DIVINIQVE IVRIS *expertem* vocat *L. II. hiſt. c.* 91. & hinc eſt, quod Iurisprudentia *rerum diuinarum & humanarum* cognitio audiat *l.* 10. §. 2. *ff. de Iuſt. & Iur.* hinc factum, quod vetuſti apud Romanos moris fuerit, vt cum quo nec foedere, nec aequis legibus iungerentur, amicitia non prius in eum, tamquam pacatum imperio, vſi ſint, quam *omnia*

diuina

cietas omnis, ſic *ciuitas, ſocietatum maxuma, vnionem voluntatis* plurium perſonarum ad conſequendum iunctis viribus finem quendam communem exigit, vtque *vnum corpus eſt*, ſic *vno quaſi animo*, vt ait Aſinius Gallus ap. TACIT. *L. I. Annal. c. 12. regi debet.* Hanc ipſam vero *voluntatem* plurium non *in ſingulis negotiis particularibus & priuatis*, ſed *in communibus & publicis* (c) *praeciſe vnitam* prae-

diuina humanaque dediſſet. LIV. *lib. VI. dec. 4.* PETR. FABER *in ſemeſtr. Cap. 7.* Hinc denique Tiberius, Auguſti in imperio ſucceſſor, prouti *artem callebat, qua verba expenderet*, teſte TACITO *L. XIII. Annal. c. 32.* ſed hanc penitus dominationis libidini ac licentiae deſtinauerat, grauiſſimum ſpecioſis verbis, re vero inane ac ſubdolum, votum concepit, cum diuinos templorum honores deprecans ita apud TACITVM *L. IV. Annal. c. 38.* inquit: *Proinde ſocios, ciues & deos & deas ipſas precor: hos, vt mihi ad finem vsque vitae quietam & intelligentem* HVMANI DIVINIQVE IVRIS *mentem duint; illos, vt quandocumque conceſſero, cum laude & bonis recordationibus, facta atque famam nominis mei proſequantur.* Et vt in colligendis pluribus teſtimoniis otium mihi, LECTORIBVSque MEIS faciam, hinc eſt, quod grauiter ſe & alios moneat ANTONINVS IMPERATOR in libris, quos *ad ſe ipſum* inſcripſit *III. pr. 16. reputandum eſſe, quam incertum ſit, an proceſſu longioris aeui* INTELLIGENTIA DIVINARVM AC HVMANARVM RERVM *eodem vigore & ſucceſſu duratura ſit.*

(c) Vix opus eſſe credo, ne LECTORES MEOS vox & denominatio *negotiorum publicorum* offendat longa admonitione, iis dicere, talia a nobis ſub nomine hoc non intelligi, quae alias *actibus clandeſtinis* opponi ſolent, vti v. g. nominamus *ſponſalia publica* in oppoſitione ad *ſponſalia clandeſtina.* Ipſa enim libelli huius frons iam illud docere poteſt, quod haec nominis acceptio longe a ſcopo noſtro ſit remota.

praerequiri quemlibet facile ratio ipſa edocet. Quare quodcumque deinde *reipublicae ſyſtema* ſit, miram praebet vtilitatem, quaenam *communia* & *publica*, quae *particularia* & *priuata* ſint *negotia* cognitum rite habere perſpectumque. Quemadmodum enim in Monarchiis Regum, in Ariſtocratiis vero & Democratiis, vt egregie docet GROTIVS *de Iure Belli & pac. L. II. c. 5. §. 17.* cui adde PVFENDORF *de off. hom. & ciuis L. II. c. 6. §. 12.* & pleroſque, qui ad hunc locum aliquid annotarunt, praecipue TREVERVM & EVERHARD. OTTONEM, V. C. *maioris* in SenatuProcerum vel populi *partis* eſt imperare reliquis, ita in *negotiis publicis*, ſeu *actibus regiis*, vt iterum GROTIVS *de I. B. & P. L. II. c. 14. §. 1.* loquitur, horum *voluntatem publicam* parentium voluntatem eſſe, ob eamque cauſſam per *imperantium voluntatem* vniuerſum populum obligari, ſi a pauciſſimis exemplis, quae TREVERVS *in not. ad* PVFENDORF *de O. H. & C. L. II. c. 6. §. 11.* exhibet, diſceſſeris, palam eſt. Cum contra vbi ad *negotia priuata* reſpexeris, non ſolum non expediat reipublicae, ſi nihil circa ea voluntatis relictum aliis, verum etiam in Ariſtocratiis & Democratiis expediti fere iuris ſit, *vota plurium extra caſum neceſſitatis ineluctabilis non extendere ſe ad iura ſingulorum.* ZIEGLER *in not. ad* GROTIVM *de I. B. & P. L. II. c. 5. §. 17.*

§. II.

II. Ex conditione perſonarum publicarum & priuatarum.

Sola igitur hæc obſervatio iam *primam* nobis pandit *inter iura publica & priuata differentiam*, cui mox addamus *alteram.* Qui enim in republica viuunt, aut *perſonam imperantis* exercent, aut in eam ſunt conditionem delati, vt *gloria obſequii* ipſis ſit relicta. Cum

igitur

igitur vt recte ex ARISTOTELE dicit CICERO *L. III. de L. c. 5. magistratibus, iisque, qui praesint, contineatur respublica, & ex eorum compositione, quod cuiusque reipublicae genus sit, intelligatur; Imperantes*, siue iam *proprio* siue *administratorio nomine*, siue *ad tempus*, siue *perpetuo*, siue *ordinarie*, siue *extra ordinem*, vt olim apud Romanos Dictator & Decemuiri scribendis legibus, imperio praesint, *personas* nominabimus *publicas*, *parentes* vero *priuatas*. *Status* apud Iureconsultos est qualitas moralis, secundum quam ius inter homines variat. *In diuerso* igitur *statu* esse *Imperantes parentesque* quis non videt? adeoque etiam *diuersa quoad personas publicas & priuatas iura* obtinere etiam ex ipsa status definitione discimus. Quapropter quemadmodum *ius ciuile* dicimus *in applicatione ad statum ciuitatis*, *ius naturale in applicatione ad statum naturalis libertatis*, in quo persona, cui ius reddendum degit, ita etiam *ius publicum priuatum*que emergit, prouti *in statu ciuitatis publico* vel *priuato* constituti sunt, quibus iura applicanda, id est, prouti vel *publicam*, vel *priuatam personam* sustinent; adeo vt aeque ineptum sit *publica iura personis priuatis* applicare, ac quidem id ridiculum foret, *personas publicas* censere *iure priuato*, contra quod iam GROTIVS *de I. B. & P. L. II. c. 16. §. 31.* quaedam monuit. Equidem non ignoro, in Wisigothorum Legibus L. II. Tit. I. Lege 2. cautum fuisse *vt legibus tam Regia potestas, quam populorum vniuersitas credatur subiecta*; quin immo vexatam nonnullis Iureconsultis (d) videri quaestionem

(d) De rationibus enim politicis non loquor. Spectat ad has illud CLAVDIANI *ad Honor.*

Tunc

nem: *an Princeps legibus priuatis a se latis teneatur?* verum vt scita gentis tunc parum cultae regulam nullam facere possunt, sic id etiam scio, eruditis multis sollemne esse, vt nodum in scirpo quaerant. Certe hic tolli vno ictu & profligari dissentientium argumenta possunt; quae enim *in legibus priuatis* sancita sunt, vel mere *positiui iuris* sunt, adeoque ex solo Imperantis arbitrio & voluntate pendent, & his eum obligatum dicere, idem esset, ac *naturam legis* ignorare, quae semper *superiorem* supponit, qualis *nemo intuitu sui ipsius* est, (vti recte loquuntur Iureconsulti *l. 40. ff. de fideic. libert. l. 51. inf. ff. de recep.*) vel ex *naturali iure* pullulant, nec tam *noua sanctione* promulgantur, quam solummodo in gratiam plebis imperitae, cui perscrutari absconditos aeterni huius iuris recessus datum non est, repetuntur, & in scripturam rediguntur. Quare quemadmodum *directionem iuris naturae* quoad actiones hominum inter se *non tollunt status varii*, in quibus viuere coeperunt homines, vbi his alligatum dicimus Imperantem, id non tam ideo fit, quasi sponte sese & ex aequo ac bono legibus a se latis, *glorioso penitus ausu*, (de quo hinc inde in Legibus Romanis sermo occurrit § *vlt. Instit. quib. mod. testam. infirm. l. 4. C. de LL. l. 3. C. de testam. l. 7. C. de prec. Imp offer. l. 4. C. de emancip. liber. l. 16. C. de transact. l. fin. C. sent. resc. non posse l. 3. C. vnde vi. l. 4. C. ad Leg. Falc.*) submiserit, sed quia reuera, *auctori le-*

- - - Tunc obseruantior aequi
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit *ipsum*
Auctorem parere sibi, componitur orbis
Regis ad exemplum, nec tantum flectere mentes
Humanas edicta valent, qvam vita Regentis.

gis huius, DEO, subest (e) conferri heic meretur Illustr. D. Boehmer *Iur. Publ. Vniu. P. Gen. c. 2. §. 14. 15. 16.* Vnde v. g. subditis in contractibus aeque obligatur, ac si *persona priuata* contraxisset, quia non *priuati*, sed *aeterni iuris* dictamen est, quod *seruanda esse pacta* hominibus inculcat. Nec difficilis est sententiae nostrae ratio; pone enim Principem contractibus & pactis non amplius obligari, multa absurda simul statues; agere enim eum videbis aliquid, quo acto idem foret, ac si nihil fuisset actum, cumque liberum ei fuit contrahere; cessabit iam naturalis ratio quae ab initio libertatis sunt, ex post facto necessitatis fieri, quin immo ita reuera conditio Principis ipsa deterior redditur; quod si enim a sola eius voluntate penderet obligatio in contractu, verisimile est, neminem imposterum cum ipso contracturum: quod omne vero in iis, quae *meri iuris positiui* sunt, aliter se habet. Vnde non obligatur ad sollemnia contractuum obseruanda, v. g. vt in charta signata exarentur, vt resignatio dominii iudicialis fiat &c. Quare iam consit (f), iniuria negasse nonnullos Gal-

(e) Et eatenus recte se habet dictum Regis Alphonsi: *Improbe agere Principes, qui aliis honeste decoreque viuendi legem praescriberent, ipsi vero nihilo temperantiores sese praeberent.* Panorm. *L. V. de reb gest Alphons.* Neque enim immerito quis cum Cicerone *ad M. Brutum* dixerit: *Cui tandem imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? refraenet prius libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat auaritiam, caeteras animi labes repellat.*

(f) Iam vetustum quaestionis huius quatenus *personae publicae priuato iure* censeantur? exemplum habemus apud Pausaniam,

Gallos Henrico, Nauarrae Regi, ſucceſſionem Regni, quoniam vltra gradum decimum nulla datur apud eos B 2 here-

SANIAM. in lite, quae inter Achaeos & Lacaedemonios coram Legatis Romanorum, cuius princeps Appius Claudius fuit, agitabatur. Achaeis enim ideo contra Romanorum legatos excipientibus, quod illi ab Areo & Alcibiade, aduerſariis Achaeorum, in Graeciam adducti eſſent, & ad Legem Antiam Romanorum prouocantibus, qua cautum, ne rei & accuſatores iudicis domum ingrediantur, committere alioquin in ambitum, reſpondit Senatus Romanus, *aliam iudicis, aliam legati conditionem eſſe*, id eſt, *aliam iuris publici, aliam priuati eſſe rationem*, vt recte interpretatur PETR. AERODIVS *in Pandect. rerum Iudicat. L. II. tit.* 17. *f.* 148. Equidem humaniſſimus quondam Belgii ICtus, GERHARDVS NOODT *in Oratione de iure ſummi imperii & lege Regia Opp. p.* 769 *ſqq.* & Ludouicianae academiae praecipuum ornamentum, IOH. NICOL. HERTIVS, eruditiſſimus & iudicioſiſſimus Iureconſultus, a noſtra, quod non diſſimulamus, abire videntur ſententia, is quidem *in diſſ. de ſuperioritate territoriali* §. 74. *T. II. Opp p m.* 341 *ſqq.* Aſt multa iam conglobare argumenta, iisque diſſentientes oppugnare, noſtraque firmare, nimis prolixum & a ſcopo noſtro remotum foret. Vnde vnum hoc rogamus LECTORES, vt perpendant 1) quam id ſingulare ſit Principem obſtrictum dicere *legibus priuatis*, quae vim ſuam omnem ex iuſſu eius ſortiuntur, adeoque cadunt ſtatim, ſuamque efficaciam perdunt, quando Princeps ipſe aliud quidpiam iubet; 2) quantum hoc perſonarum omnium in republica confuſionem inuoluat neceſſe ſit; Cum enim omnino ex ſtructura reipublicae fluat, vt adſint qui iuſſibus ſuis dirigant omnia ad communem vtilitatem, quique ita dirigantur atque obſequium praeſtent; ordo hic hoc dogmate manifeſto concul-

hereditatis delatio; & recte iis a Regis amicis responsum legimus, *in Regnorum successionibus, non idem, quod in priuatorum hereditatibus iuris esse.* THVAN. *L. 81. histor. ad A. 1585. ab init.* De *Augustae iuribus* ex his principiis disputare non erit difficile. Quemadmodum enim in genere vxoribus Regum ac Principum tum ob conditionem sexus foeminei, tum ob naturam ciuitatum, quae *diuisam maiestatem* ferre nequeunt, hanc conditionem imposuit ratio, *vt, quatenus pactis dotalibus sibi non prospexerunt, maiestatem mariti sui colere reuerenter debeant*, ita eas non *personas publicas*, sed *priuatas* esse mox constit. Vnde etiam in dubio & quatenus priuilegiis maritorum suorum siue *specialibus*, siue *in corpore iuris clausis*, vt aiunt, (g) liberatae non sunt atque exemtae

conculcatur; 3) quomodo inuicem stare non possint sententiae hae: *Princeps legibus ciuilibus tenetur*, & altera *Antecessorum leges regulariter a nutu & voluntate Principis Successoris pendent, adeo vt possit, si velit, spongiam deletilem illis inducere*, quam vltimam regulam ne quidem pedarius Iureconsultus vel Politicus negare vmquam audebit; 4) quod qui contra nos sentiunt, manifeste abeant ad Monarchomachos; posito enim *Principem legibus ciuilibus teneri*, necesse erit, vt in casu, quo ab iis recedendi licentiam sibi sumeret, superfit, qui cogere eum & in ordinem redigere possit, adeoque superfit etiam, qui eum possit punire; & quae plura iam exinde fluerent absurda.

(g) Talia *priuilegia in iure Romano Augustae indulta* fuisse constat ex multis locis. Sic enim allegari possunt §. *fin. Instit. de vsucapion. l.* 31. *ff. de LL. l.* 6. §. 1. *ff. de iure fisci. l. 7. C. de bon. quae. liber. l.* 34. *C. de donat. l. vlt. C. de quadr. praescr. l.* 26. *C. de donat. inter vir. & vxor. l.* 6. *C. de*

emtae MYLERVS AB EHRENBACH (h) *in Gamol. Perſ. Imp. illuſtr. c.7.§.27.* TITIVS *in ſpec. iuris publ. L. V. c.7.§.2.*

de vectig. Quae omnia vero minus commode a nonnullis iuris publici Germanici Doctoribus ad *Imperatricem Germanicam* applicantur, quia longe alius *Auguſtarum* apud Romanos, ſtatus fuit, quam is eſt apud Germanos SCHILTER *in iur. publ. L.I.T.16.p.173.* Neque enim haec dignitas ex connubio praeciſe olim proficiſcebatur, ſed peculiari ritu ab initio praeuio Senatusconſulto, poſtea etiam interdum ſine eo SVETON. *in vit. Domitiani c.3.* non ſolum *vxoribus*, verum *matribus*, *ſororibus*, *filiabus Auguſtorum*, quinimmo etiam iis interdum foeminis, quae ex *Auguſtali familia* priuatis matrimonio iunctae erant, ceu exemplo filiae M. Antonini Imp. ap. CAPITOLIN. *c.20.* conſtat, tribui ſolebat. Praeterea ceu in genere obſeruari ſolet a Doctoribus paullulum curatioribus, quod ſcita *iuris* huius *peregrini* in cauſſis *iuris publici Germanici* valoris ſint nullius, conf. GRIBNERI *diſſ. de praeiud. Princip. Imperii ex abuſu iuris Iuſtinianei T. I. Opp.* ita profecto nulla ratio ſuadet, cur haec *Auguſtae priuilegia*, qua eadem *Auguſtae iura* eſſe dicuntur, quae *Auguſti* ſunt, obtorto collo in quaeſtione tam ardua decidenda in forum Germanicum protrudamus.

(h) Equidem ſi quis obiter aſpicit MYLERVM AB EHRENBACH, videtur is a noſtra ſententia recedere, dum §§. 8. & 22. *d. c.* diſertis verbis dicit, *Principi aut Statui Imperii erga vxorem illuſtrem nullam competere iurisdictionem.* Sed res in ſaluo eſt. Vel leuiter enim perluſtrando MYLERVM occurrent nobis varia, ex quibus patet, eum in cauſſa hac non conſtitiſſe ſibi. Quid quod is ſi vel maxume foeminam illuſtrem *a iurisdictione mariti ſui liberam* pronunciet, id ipſum tamen ſemper *ex priuilegio* deducat, adeoque apprime nobiſcum ſentiat, cum *talia ſint praedicata, qualia eſſe permittuntur a ſuis ſubiectis.*

Vitriarius *Instit. iur. Publ. L. III. Tit. 17. §. 10. ibique citati* a Pfeffingero, *iure priuato* vtuntur, & quoad negotia sua, contractus, testamenti factiones, successiones ab intestato, ex communi iure censentur, ac iudicium Mariti sui pro foro competente agnoscere debent (i). Limnevs *ad Aur. Bull. c. V. §. 3. obs. 4. p. m. 287.* &

(i) Equidem de priuatorum vxoribus valet regula iuris communis: *vxor sequitur forum mariti*, *l. 9. C. de incol. L. X. l. 13. C de dignit. L. XII.* Ast quam primum eam ad vxores Regum & Principum applicas, falsa est haec regula, immo prorsus nulla. Reges enim, cum *personae publicae* sint, iudicem actionum suarum in hoc mundo habent neminem, & recte Poëta ait:

Subditus in Legem peccat, Regemque, Deumque,
Rex peccat soli, Rex quia nempe, Deo.

Sed quae Regibus, Maritis suis, subsunt, Reginae, eos etiam actionum suarum iudices agnoscunt. Mea huc faciam verba Schilteri *in Instit. Iur. Publ. L. I. T. 16. §. 3.* dicentis: *Etsi vero par in parem non dicatur habere potestatem, haut tamen ita in consortium Imperii recipitur Augusta, quin fit tamen societas coniugalis h. e. paritas inadaequata, vt tamen socia subordinata sit Imperatori atque marito. Quod re iudicata comprobauit Otto III. Imperator, Augustam adulteram & per calumniam homicidii ream ad ignem & viuicomburium damnauit, cognita caussa in Senatu Principum.* Cum quo egregie conuenit Strykio *in diss. de foris Germ. singular. c. II. §. 12.* quando *de Augustae iudice*, inquit, *nihil in A. B. expressum est, hinc haut abs re erit, si & in hanc quaestionem breuiter inquiramus. Et quidem si ad ius ciuile respicere quis velit, in eam necessario descendet sententiam, quod & ipsa forum coram Palatino sortiri debeat, cum ex l. 9. C. de incol. & l. 13. C. de dignit. satis manifesto constat, vxorem participem fieri fori mariti,*

& notit. Regni Franc. L. II. c. 19. litt. Ff. p. 891. Quod idem etiam *quoad viduas Reginas*, *Imperatrices*, *Principesque foeminas* obtinet; Licet enim eae eatenus liberiorem potestatem mortuo marito consequi videantur, quod iam a liberrima earum voluntate pendeat ordinare munera sua aulica, eaque obeunda credere cuicumque voluerint, cum contra Imperatoris vel Regis sit, domesticos vtriusque sexus in aula Coniugis suae spar-tis

riti. Sed ex his legibus quaestionis decisio petenda non est, quia ex consuetudine Imperator forum coram Palatino sortitur, quae cum stricti iuris sit, ad Augustam extendi nequit; accedit, quod Augustis hoc priuilegium tributum dicant Doctores, vt vxori & liberis ius dicere possint MENOCH. *Conf. II. n.* 22. *quod iis generali dispositione A. B. ademtum non videtur. Neque exempla ex historiis desunt, v. g. Ottonis III. in Mariam coniugem, Henrici VI. in Constantiae suae adulterium, & Sigismundi in Barbarae suae barbaros mores seuerius inquirentium.* BVXTORF *ad A B &* LIMNEVS *ad A B. c.* 1. §. 3. *obs. I.* & postea *c. III.* §. 3. his iterum subiungit STRYK. *Si Princeps ipse contra vxorem suam agere velit, siue ex capite adulterii, siue ex capite malitiosae desertionis, hanc in iudicio Principis conueniri posse puto.* Licet vterque vir eruditissimus in exemplo Ottonis III. errauerit. Nam quae GOTHOFR. VITERB. *Chron. p.* 481. *sq.* IAC. A KOENIGSHOVEN *Chronic. c.* 2. *p.* 160. GOBELIN. PERSONA *in Cosmodrom. aet. VI c.* 50. de supplicio a Maria, Ottonis III. coniuge, sumto narrant, hodie ad aniles fabulas pertinent, postea quam certo constat, Ottonem III. numquam duxisse vxorem. HAHN Reichs Historie *P. II c.* 5. §. 7. *n e.* melioris notae sunt exempla, quae in medium profert SPENER im Teutsch. *Iure Publ. L. IV c.* 11. §. 7. *litt. e. f.* Caeterum quaestionis huius satis manifesta vtilitas in Germania sese crebro prodit in controuersiis matrimonialibus & caussa diuortii personarum illustrium.

tis & honoribus exornare; tamen cum dici nequeat, eas morte Augusti magis *personas publicas* fieri, quam quidem viuo Augusto fuere, ratio prorsus nulla foret, cur a Legibus Imperantis contra huius voluntatem eas eximamus(k). De *filiis, Regni heredibus*, res forte dubio non caret(l), eos aeque, ac *fratres Regios*, *omnemque domum Augustam*, tam diu *priuatorum hominum iure* censeri, quam diu *priuilegiis summae potestatis* aliud non impetrarunt; & illi ipsi fere Doctores, qui *subiectionem ciuilem harum personarum illustrium* in dubium vocant, negare tamen non audent, eas *in statu naturali priuato* esse constitutas. Vnde HERTIVS *in diss. de subiectione*

(k) Ad capita quidem iuris in Germania controuersi haec quaestio ab Illustri D. MOSERO im Grundriß der heutigen Staatsverfassung des Teutschen Reichs *L. III. c. XI.* §. 10. refertur; sed quis non videt, vnicam hanc inter *personas publicas* & *priuatas* distinctionem dubium fere omne tollere, exemplis sententiam nostram confirmat SPENER *l. c. not. g.*

(l) Equidem dissentit GRIBNERVS *dict. diss. de praeiudicio Pp. imperii ex abusu iuris Iustinianei c.* 2. §. 6. *not. b. c.* §. 7. *not. a.* §. 12. *not. b.* & ex natalium splendore in tam illustribus personis effici credit, vt locum in iis habere nequeat, quicquid ex solis LL. ciuilibus ad patriam potestatem referendum est. Vnde inferre vult, si *testamenti factio, contractus mutui celebratio, ius acquirendi* &c. in regno LL. ciuilibus filiisfamilias negatum esset, non tamen id negatum fore Principi filio. Sed quam iniuriosa haec sententia sit *in potestatem summam* videant alii. In Dania nostra *LL. Codicis Christianei L. I. c. II. art. I.* cautum: *ne quis alius in caussa domum Augustam concernente iudicare praesumat, quam is, cui id Sacratissima Regis Maiestas commisit.* Quae quam curate principiis nostris conueniant nemo non videt.

ne territ. §. 6. *T. I. Opp. p. m.* 376. *cum uxor*, inquit, *liberique Principum ac Comitum* SVPERIORITATEM NON PARTICIPENT, *habitatio autem in regione* SVBDITVM FACIAT, *non intelligitur, qua ratione ſint exemti. Sane in* REGNIS VXORES LIBEROSQVE REGIBVS SVBESSE NEGARI NEQVIT. Haec autem difficilior forte erit quaeſtio: *Vtrum, qui ſuperſtite Rege ad ſucceſſionem vocantur, Principes per hanc electionem* PRIVATAM CONDITIONEM *exuant, &* PERSONAE PVBLICAE *in ſenſu proprio fiant*? ad cuius deciſionem ab vtraque parte allegari poſſunt momenta varia. Certe in Germania, vbi haut raro iam contigit, vt Rex Romanorum fuerit electus, quaeſtionem hanc vtilitatis alicuius practicae eſſe inficias ibit nemo. Neganda forte priuata eius conditio videbitur iis, qui obiter ſaltim aſpiciunt & perpendunt verba *Rec. Imp. de A.* 1542. §. 102. aus Königlicher Macht und Vollkommenheit, item *Rec. Imp. de A.* 1555. §. 65. im Nahmen Ihro Kayſerlichen Majeſtät und für Uns ſelbſt, quippe ex quibus primo intuitu colligi poſſe exiſtimabunt, *maieſtatem Regis Romanorum fere numero eamdem cum maieſtate Imperatoria eſſe.* Aſt qui in ipſam vim verborum penetrant, &, ceu par eſt, ſchemata huiusmodi longe inferiora cenſent, quam vt exinde ſufficiens argumentum pro poteſtate Regia formetur, concedent nobis, cum Rex Romanorum non *Coimperator*, ſed *deſignatus ſaltim ſucceſſor* ſit, affirmare *priuatam* eius *conditionem* iubere ipſa verba *Rec. Imp. de* 1542. §. 2. 3. vbi ipſemet *Imperatorem* DOMINVM SVVM *ſalutat*, quibus quae *de vnitate maieſtatis* iam a nobis dicta ſunt, mirifice ſuffragantur. Quid quod etiam moribus gentium illud ap-

probatum ſit, ipſos *Reges poſt Regni abdicationem* deſinere *pro perſonis publicis* cenſeri (m).

§. III.

III. Ex origine iuris priuati & publici.

Sed nec minor eſt, quae *quoad originem* inter *ius priuatum & publicum* obtinet, *differentia*. Licet enim *quoad cauſſam efficientem* plerique nihil hic diſcriminis ſubeſſe ſtatuant ICti, rati, vtrumque vel *a publica poteſtate*, vel a *primo pacto ciuitatis* ortum ducere, mihi tamen res aliter ſemper viſa. Scilicet παράδοξον, quod non diſſimulo, redolet, dicere: *ius publicum legibus Imperantium proprie ſic dictis determinari*. Nemo enim tam ſupine ignarus eſt rerum Politicarum, quin duplicis generis eſſe regna & imperia nouerit, cumque quaedam eorum ita comparata ſint, vt limitibus in iis circumſcripta & legibus temperata ſit Imperantis poteſtas; quaedam in quibus ille, qui ad clauum reipublicae ſedet, liberrima voluntate, abſolutiſſimoque imperio dominatur, facillimum erit, hunc ipſum errorem confutare. Nam ſi finxeris, gaudere Imperantem *poteſtate abſoluta*, fruſtra erit leges *de forma imperii ferre*, quippe quae leges obligarent in ciuitate neminem, niſi Principem ſolum, (n) quem ſibi legem dicere nec voluiſſe, nec potuiſſe

(m) Vnde etiam eos poſt abdicationem Regni Legatos, quibus immunitates illae iure gentium Legatis debitae competant, mittere non poſſe, res vbiuis locorum explorata eſt, cui exemplum Reginae Chriſtinae Suecicae non obſtat, quia, quos ipſa Legatos miſit, admiſſos fuiſſe ab aliis Regibus magis *ex regulis honeſtatis*, quam *iuris* nouimus.

(n) Quae etiam cauſſa allegari debet, cur exulet regulariter in Monarchiis *iuris publici particularis doctrina*, vel certe in pau-

se ipsa natura rei & quae praecedenti §. fuere dicta euincunt. Non voluit, quia alias ipse suae absolutae potestati obicem poneret: non potuit, quia ad legem requiritur *repraesentatio mali in casu violationis*, quod *poena* dicitur, nemo autem sibi adeo inimicus esse potest, vt sponte semet *puniat*, vel male sibi cupiat. Quod si autem *imperium adductum* supponis, Imperantis arbitrio *quoad formam imperii & negotia publica*, ex quibus *ius Publicum* emergit, locum non esse, sed ab Ordinum consensu pendere plurima, facile inuenies. Ex quo conficitur, *ius publicum*, quod in hoc adductae reipublicae statu emanat, *in conuentionibus vel expressis vel tacitis inter imperantes & subditos initis ciuitatis statui vel in totum vel ex parte formam perpetuam tribuentibus consistere.* Vnde iam licet in *statu reipublicae Democraticae* etiam *priuatae leges per modum pacti* scribi soleant, ceu rei huius egregium in Legibus apud Romanos libera adhuc republica latis exemplum habemus, id tamen nec con-

paucissima capita redigi possit, vti recte obseruat D. de LVDEWIG *in singular. iuris publ. p.* 142 *seqq.* & *in Praefat.* der Rechtlichen Erläuterung der Reichshistorie. Non quidem ob hanc, vt multi somniant, caussam, quasi ad dominantis duntaxat vtilitatem atque commodum, neutiquam vero ad subditorum emolumentum hic referantur omnia, tale quid enim nullibi, nisi in *Regno pleno* ac παμβασιλέια, cuius ARISTOTELES *L. III. Polit. c.* 16. meminit, locum habet, vid. B. BVDDEI *Phil. Pract. P. III. C. V. Sect. XII.* §§. 18. 25 & 30. & qui longe plenius haec tractat, D. DE LVDEWIG *in diss. de Oblig. Success. in Princ. & client. c.* 1. §. 2. *sq. Opp. T. I. L.* 1. *f.* 542. *sq.* sed quia in negotiis ad salutem ciuitatis spectantibus nihil hic Imperanti illicitum censeri potest, quod non *religio* vel *recta ratio* fieri negat.

ſtans eſt, nec ad alias rerumpublicarum formas, *Monarchiam* ſcilicet vel *Ariſtocratiam* quadrat; contra *ius publicum* omne, quemcumque ſupponas reipublicae ſtatum, ſemper eſt *pactitium;* nec, ſi quae in eo conuentiones *abuſiue leges* dicuntur (o), alio id ſenſu valet, quam quoad obligationem, quoniam ſcilicet poſteaquam *pacta* ob iuris naturalis auctoritatem, *ius producunt*, parum in ſocietate humana intereſſe videtur, an *immediate ex lege*, an *ex pacto obligatio* deſcendat. Licet nec cum iis digladiari velim, qui idem *ius publicum*, quod Imperantes per modum contractus obligat, reſpectu ſubditorum *pro veris legibus poſitiuis* habendum eſſe contendunt.

§. IV.

(o) Mirum eſt, quantum quaeſtio haec ingenia nonnullorum Eruditorum Germaniae torſerit olim. Cum enim viderint *Capitulationem Caeſaream pacto* noui electi Imperatoris cum Electoribus nomine Imperii inito niti, adeoque ſemper in *Capitulationum Prooemiis* recitari verba, quibus Imperatores fatentur: Daß Sie ſich aus freyem gnädigen Willen dieſer nachfolgenden Articul mit denen Churfürſten Gedings- und Pactsweiſe vereiniget, vertragen, dieſelbe angenommen, und zugeſaget haben; Interim tamen ab altera parte animaduerterint, hanc ipſam *Capitulationem legem fundamentalem* communiter dici v. g. in *Capit. Leopold. Art* 36. in Electorum ad factam a Caeſare auf dem Chur- und Fürſtentage zu Regensburg a. 1623. propoſitionem reſponſo de dato d. 20 Jan 1623. ap. LONDORP. *T. II. actor. publ L. VI. c.* 171. *f* 661. etiam quidam, qui alias agmen inter eos ducunt, neſciuerunt fere, qua ratione conciliari haec queant. CARPZOV. *de Lege Reg. Germ C. I. Sect. IV n* 9. CONRING *ad* LAMPADII *Libellum de Republica Romano Germanica P. III. c.* 2. §. 12. *Opp. Conring. T. II f* 81. *ſq* STRAVCH *diſſert. Exoter. IV. th.* 27. Sed noſtra haec conciliandi ratio nihil dubii amplius relinquit.

§. IV.

Nouam pandit haec obseruatio *inter ius publicum & priuatum diuersitatem.* Quando enim ad *effectus legum priuatarum* respicis, vnus is est, scilicet *obligatio*, si *legem praeceptiuam vel probibitiuam* supponis, aut *facultas agendi vel non agendi*, si *lex mere permissiua* est. Ast longe aliter sese res habet quoad *leges publicas*; ex his enim duplex semper effectus, scilicet & *potestas legitima* & *obligatio* propullulat. Quin immo in ipsa *obligatione, vtriusque legis effectu*, mira est diuersitas. Cum enim aequalibus in aequales ius cogendi a natura sit concessum, Superioribus vero in subditos illud etiam *ex lege naturae*, quatenus *imperium*, adeoque etiam *ius cogendi* in Principem delatum, competat, subditis tamen cogere eum, cuius sunt subditi, numquam licet, vt recte philosophatur GROTIVS *de iure belli & pacis L. II. c. 14. §. 6.* Vnde magis argumentum est, quo vti poterit Orator, quam ICtus, quando DIO CASSIVS *in vita Traiani* narrat, Imperatorem cum Surae, quem Tribunum militum creabat, pro more parazonium nudum porrigeret, dixisse *talem ensem accipe, quem pro me ita demum strinxeris, si iuste imperauero, quod si perperam quidquam a me fieri cognoueris, eo in perniciem meam vtaris velim.* Quae ipsa nostra sententia ne peruersa aut iniqua videri possit, age, quaeso, adspice statum, vbi subditi Imperantem ad aliquid cogerent iure suo, id est sine fraude, sine laesione & violatione maiestati eius atque sanctitati illata, & videbis mox, si possibilis foret talis casus, Imperantes durioris fore conditionis, quam ipsos ciues in republica. Cum enim extra eum casum, quo quis ciuium *in statu naturali extraordinario* versa-

IV. Ex effectu iuris publici & priuati.

tur, in republica bene constituta ius sibimet ipsi dicere queat nemo, quia necesse fuit, vt *aequalitati naturali* renunciarint, qui in vnam coaluere ciuitatem, adeoque, quae *ex naturali libertate* agere poterant singuli, illa is tantum retinuerit, qui reipublicae praeest; quilibet cernit, resistendi facultatem, quae ex iure naturali fluit, amplius cum subiectione & pace ciuili subsistere non potuisse, adeoque nec mirabitur, ciuem alterum ab obligatione sua recedentem, vel in ea exsequenda iusto segniorem, vt officio faciat satis cogere posse neutiquam, sed iudicis hic implorandum esse auxilium, eiusque exspectandam decisionem. Quod solum vero iam euincit, si vlla vmquam daretur occasio, vt subditi cogere possent Principem, nec tamen peccarent in maiestatem eius, euenturum, vt iis reuera plus erga Principem liceat, quam erga conciues ipsos (p). Non

(p) Ampla hic esset occasio disputandi contra BODINVM, qui licet recte docuerit, Principem ob tyrannidem vel abusum iuris Regii a subditis puniri non posse, exteris tamen Principibus licentiam vindicandi iniurias subditis ita illatas praeter rationem profecto, & inuita Themide ipsa tribuit, oblitus procul dubio, quod si tale quid agerent exteri, *ad preces subditorum*, id reuera thesin suam destrueret, cum *quae quis agere non possit ipsemet, ea etiam is nequeat agere per alium;* sin vero *motu proprio* de iniuriis huiusmodi vindicandis consilium Principes alii agitarent, quod ita *bellum* gereretur *punitiuum*, quod quantum a recta ratione recedat pridem euicerunt viri eruditissimi. Sed temporis ratio & dicendorum copia prohibent, ne tam graue argumentum heic pertractemus. Itaque hoc vnum monemus, disputasse iam contra BODINVM quaedam, quae mirifice nobis

Non obseruant hoc inconueniens *monarchomachi*, vel certe fingunt, quasi illud ignorarent. Nam *dum nimio mentis acumine & artificio plus quam Colchico iura Principum oppugnare audent, absurda & praepostera omnia arripiunt.* Ast si exempla Magnatum aspicimus, quotquot fuere excitatioris animi Principes, etiam in rebuspublicis adductis *reuerentiam hanc iuris Regii*, sicubi opus, ordinibus commendare non dubitarunt. Sane de Elisabetha, virilis prorsus animi Heroina, CAMDENVS refert, eam subinde modestiae admonuisse curiam, immo plenis comitiis denuntiasse: *cauerent Principis patientiam laedere. Part. I, annal, 1566. p. m. 103.* quid in Gallia saepius, praecipue superiori saeculo, cum curia *iure admonendi Regem de edictis conditis & vsurpanda potestate Regia* nimis libere vti vellet, actum, nemo historiarum gnarus ignorare potest, partem eorum refert BARTHOLOM. GRAMONDVS *l. 5. historiar.* & LIMNAEVS *in addit. T. IV. c. 2. ad n. 17.* ex *Mercurio Gallico T. 12.* probat prohibuisse Regem Ludouicum XIII. ne quis in Gallia quidquam de potestate Regum vel in affirmatiuam vel in negatiuam partem decernere audeat. Quibus omnibus igitur pensitatis nullus dubito asserere, in omni Imperante *ex iure publico plenam* quidem & *perfectam*, si *forum conscientiae* spectas, *imperfectam* vero, seu, quod rectius dicitur, *minus plenam* saltim, si ad *forum huma-*

nobis placent, acutissimum & ingeniosissimum PETRVM BAYLIVM *in Diction. Crit. f. 620. litt. P. edit. Roter. de a.* 1702. a quo ipso etiam illud erroneum ALTHVSII dogma: *quod proprietas maiestatis apud populum resideat, vsusfructus apud Principem* iam quodammodo *l. c. f.* 177. *litt. B.* impugnatum nouimus.

humanum oculos dirigis, *obligationem* produci. Neque nobis obiici poterit, *nasci tamen ius perfectum ex omni pacto.* Quod si enim *de foro conscientiae* sermo est, verum hoc erit, vbi vero *de foro humano*, limitandum id esse arbitror, *quatenus personae paciscentes inter se aequales sunt*, vt qui *in statu libertatis* versantur, vel qui vtrique *in republica conditionem priuatam* obtinent. Sane vti in multis quaestionibus iuridicis, sic in hac Catone aliquo nobis opus esse videtur, qui inter tot *proteruos legum interpretes*, (qui sine philosophia philosophari audent, quorumque haut pauci, ne quid sceleri desit, sub pallio sacro *monarchomachica principia* celant, & ad diuina oracula in tam morbida caussa prouocant,) ceu ille, teste Sallvstio *de bello Catil. c.* 52. conqueratur, nos, quotiens de iuribus Regum loquendum est, importunitate hominum priuatae sortis *vera rerum vocabula amittere.*

§. V.

V. Ex modo obligationis ipsius.

Quin immo & *in modo obligationis* ipsius magnum latitat inter *ius publicum* & *priuatum discrimen.* Quae enim scribuntur *Leges ciuiles subditos saltim obligant*, & si ad *extraneum*, qui in numero subditorum non est, extenduntur, id tamen nec de omnibus dicendum est, nec nisi per accidens fit, quoniam scilicet is in *Legislatoris territorio* degit (q), & *persona priuata* est. Grotivs

(q) Sic leges poenales etiam aduenas obligant; vnde v. g. qui adulterium, in ciuitate, vbi illud ex legibus ciuitatis capite punitur, committit, recte ad mortem condemnatur, licet in ciuitate sua poena saltim pecuniaria adulteros maneat. Sic etiam *leges in rem conceptae* extraneos obligant; sic

TIVS *de I. B. & P. L. II. c. 2. § 5.* Sed vbi de *Legibus publicis* fermo eft, eae *indiftincte omnes*, fiue fint *fubditi*, fiue *extranei*, fiue in *Imperantis territorio publicam, fiue priuatam perfonam* fuftineant, fiue *intra*, fiue *extra fines & limites eius* degant, obftrictos tenent obligatosque. Sic v. g. in Dania, pofteaquam abfolutiffimum & hereditarium Imperium REGALI STIRPI ET FAMILIAE AVGVSTAE, nutu diuino, magno populorum beneficio obtigit, Lex, quae de fucceffione in vtroque Regno agit, *publica* eft, adeoque licet Regum exterorum nullus REGI AVGVSTISSIMO fubiectus fit, tamen eos *indiftincte omnes* tenet, ne quidpiam vel ipfimet agant, vel in fuis territoriis fcribi & agi patiantur, quo aeternus huius Legis facratiffimae valor minui, frangi, aut euerti queat. Et licet in cafu contrauentionis DIVINISSIMO NVMINI REGIO in aliam liberam ciuitatem *puniendi* (r) *ius* non competeret, (neque enim genti liberae in alteram *imperium* datur, ex quo folo, vt in praecedentibus iam indice digito oftendimus, omne *ius puniendi* a Iureconfultis, qui recte loqui volunt, deducitur,) competit tamen *ius belli*, tamquam in hoftem & inuaforem fecuritatis & tranquillitatis publicae.

D Pen-

fic denique leges, quae difponunt de folemnitate alicuius actus, normam agendorum extraneis conftituunt, vbi volunt, vt in ciuitate illa alicuius fint valoris.

(r) Neque enim, vt modo diximus, *bella punitiua* GROTII. & eorum, qui in eius verba iurarunt, nobis placent, quippe quae e focietate humana tranquillitatem & pacem omnem profcribunt; & alia omnino eft *iuftitia vindicatiua*, alia *punitiua*, illa refpicit femper *iniuriam nobis illatam*, haec interdum *iniuriam, qua laefus eft alter*.

Pendet ex hac obseruatione omne illud discrimen, quod obseruandum *in delictis Legatorum*, vel eorum, qui in Legatorum ministerio domestico & comitatu sunt. ALBERICVS GENTILIS *de legationibus L. II. c. 15.* Qui enim contra *leges priuatas poenales* nostrae ciuitatis deliquere, Legati aut Comites eorum & ministri, *saluo iure Gentium* puniri posse non videntur, sed si quid recte intelligimus, remittendi erunt ad populum, a quo missus est Legatus, & cuius *characterem maiestatis ac libertatis naturalis* is apud nos gerit (s). GROTIVS *de Iur.*

(s) De Legatis quidem res certa fere & explorata. Sed de comitibus & ministris Legatorum plus dubii superesse videtur. Cum enim hi *personam publicam* sustineant numquam, vbi quemquam ex iis, ad quos cum Legato venerunt, iniuria laeserint, vel atrocius crimen, quod vindicare publice interest, commiserint, ad deditionem eorum cogi posse Legatum communiter docetur; GROTIVS *d. c.* 18. §. 8. Et haec ipsa sententia multis eo verior videtur, quia nonnulli primi ordinis ICti pridem asseruerunt, quod Legati ipsi propriam in domesticos suos iurisdictionem non habeant. HVBER *de iure ciuit. L. III. s.* 4. *c.* 2. §. 30. sed praecise necesse sit, hanc vt acceperint a Principe suo ZIEGLER *in not. ad Grotium p.* 419. GERHARD VON STOECKEN, *de iure legation. th.* 16. *litt. e.* At enim vero non mihi satis facere videtur ita sentientium opinio. Praeterquam enim quod pro fundamento decisionis controuersiae huius allegent, quod ipsum adhuc iuris controuersi est; (vide enim FVRSTENER. *de iure supremat. c. 6. p. m.* 14.) ita sane hoc modo expeditum non erit, quid tunc sentiendum, vbi Legato talis iurisdictio in domesticos suos a Principe mandata fuit, nec tamen in eius exercitium consentire vult populus, ad quem is missus est. Quare dicam

Iur. Bell. & Pac. L. II. c. 18. §. 4. BOECLERVS *in diss.* qua *sacra Legationis* exponit §. 24. *Opp. Tom. Poster. p. 1113. sq.*

cam ego, quid mihi videtur. Scilicet hac in re a iudicio ciuitatis, ad quam missus Legatus, ante receptionem eius pendere videntur omnia; post receptionem autem, & vbi is simpliciter admissus, neque iurisdictio ipsi in comites & domesticos negata, ea amplius commode in dubium vocari non poterit, quia facile ita per indirectum Legatus in eum statum coniici posset, vt nec sua, nec ciuitatis suae, a qua missus est, iura tuta satis sint atque secura, quod ipsum vero ne fiat, recta ratio, quae Legatorum ipsorum immunitatem introduxit, quouis modo prohibet. Accedit, quod cum Legati fictione quadam iuris immunitate & iuribus personarum mittentium gaudeant, nihil impediat, quo minus in ipsorum gratiam fingatur etiam, ac si omne illud, quod a domesticis eorum commissum est, extra ciuitatis, in qua degunt, territorium commissum esset. Exempla Legatorum, vel eorum domesticorum propter delicta ciuilia punitorum nihil probant. Neque enim iam de eo, quod factum est, sed, quid fieri debeat disputamus. Quare finge Legatum, vel eius domesticum homicidii reum iure puniri a Principe, ad quem missus est, quale quid fratri Lusitaniae Regis Oratoris, Pantaleoni de Saa, sub Cromwello in Anglia euenisse legimus, fingeres profecto aliquid, quod pacem omnem inter gentes profligare posset, nihil enim magis naturale est, quam vt quilibet eodem iure vtatur, quod in alterum statuit. Gens igitur, a quo Legatus missus, potius exoranda erit, vt supplicium dignum de eo sumat. Et sic inultum non patitur crimen Dominus territorii, in quo fuit peccatum, nec indignationem diuinam ob peccata non punita in se concitabit. DEVS enim semper DEVS est ordinis. Fatigauit haec controuersia iam crebro eruditorum calamos.

KVLPISIVS *in diss. de Legationibus Statuum Imperii c. XXI. §. 3.* GERH. VON STOECKEN *de iure Legationum th. 21.* HVBER *de iure ciuitat. L. III. Sect. 4. c. 2. §. 31.* Ast quam primum agere quid contra *leges publicas* audet Legatus ius ciuiati in vitam eius & bona quaesitum est, non per modum *poenae*, sed per modum *vindicationis iniuriae*; ARVMAEVS *de iur. publ. discurs. 12. p. 73. sqq. T. I.* ZIEGLER *de competente delinquentium iudice & foro §. 19. Opp. p. 317.* non quia *subditus* fit, vel *persona priuata*, vt putat PELZHOFFER *Arcanor. stat. L. IV. §. 14. p. 50.* talis enim fit numquam, sed quia, vti recte ait WIQVEFORT *L. I. Sect. 29. tout Ambassadeur, qui prend parti, pert le privilege de son character.* Quod si autem perdit priuilegium characteris sui, non amplius meretur securitatem publicam, sed *hostis* est, & secundum ea, quae modo diximus, nec ipsa gens, nec Rector eius, in hoc casu, libertatem atque immunitatem amplius in nostro territorio praetendere potest (t).

§. VI.

Nec enim quid euenerit Petri II. Lusitaniae Regis Legato, Marchioni de Arronches, in Aula Imperatoris Leopoldi ob interfectum ab eo Comitem de Hallweil incognitum est.

(t) Secus qui sentiunt cum ALBER. GENTIL. *l. c. L. II. c. 18 & 19.* FVRSTENER *de iure supremat. d. c. 6.* iterum non intelligunt, quantum tranquillitas publica rerumpublicarum postulet, ne inuiolabilitas Legatorum prorsus sit illimitata Consutiss. D. NECKER Unterricht des Teutschen Staatsrechts *T. I. c. 14. §. 21 sq.* Quid hoc saeculo de hac re in Anglia fuerit disputatum, neminem fugit rerum publicarum non plane incurium.

§. VI.

Neque hoc mirum esse poterit, qui *nouam inter ius publicum & priuatum differentiam* perpendit. Ostendimus enim iam indice digito in §. 1. per *statum ciuilem* actionibus ciuium nouos inditos fuisse respectus *in statu naturali* plane incognitos, dum *negotia* eorum mox *publica*, mox *priuata* facta sunt. Iam igitur quae *priuatae* sunt *leges*, pro obiecto habent *negotia & res priuatorum*, adeoque *horum* potissimum *commodum, vtilitatem* & *salutem domesticam* (u) intendunt; Contra *leges publicae immediate, directo & principaliter, id est, intentione & executione, statum reipublicae, eiusque securitatem, gubernationem & conseruationem,* ac, vt ARISTOTELES ait, *L. I Ethic. c. 2. inf.* τὸ πόλεϛ ἢ ἔθνεϛ ἀγαθὸν vel τὸ κοινῇ συμφέρον *L. III. Polit. c. 8.* spectant, adeoque etiam *commune* totius illius ciuilis compagis *emolumentum, bonumque* promoueri cupiunt (x). Vnde si *obiectum*, quod aiunt, *mate-*

VI. Ex intentione promouendi publicam & priuatam vtilitatem.

(u) Non quidem sub ratione *vtilitatis priuatae*, sed sub ratione *iusti*. Nam directo consulere & prospicere *singulorum vtilitati atque commodo*, non tam ad *scientiam iuris*, quam ad *artem oeconomicam* pertinet. Nec *finis remotus iurisprudentiae priuatae* est, inuestigare & augere *bonum priuatorum* in se spectatum; sed stabilire *commodum publicum*, & consulere bono ciuitatis totius, ast cum iterum redundet in singulos *vtilitas publica*, quod *publico* prodest, *singulis* redditur *vtile*, *non primario, sed secundario.*

(x) Sed inquies, quaenam est haec vtilitas publica? Cum *in exercitio iuris publici* haut raro euertantur familiarum integrarum fortunae, vt in bello & dominio eminente, obex ponatur *vtilitatibus singulorum*, vt plerumque in legibus, quae naturalem commerciorum libertatem restringunt, minuan-

materiale Legum ciuilium intueris, *res* offendis *mere domesticas*, & huiusmodi actiones, in quibus ciues non con-

minuantur *opes domesticae*, vt in collectis & tributis. &c. Et patere, vt hic mea faciam, quae PETRVS AERODIVS *in Pandect. rer. iudic. L. II. tit. 17. f. 148.* habet. Quando ait: *Iura Imperiorum (inquit Aristides in Panathenaica) sic se habent, ut ea non ex damno aut commodo priuatorum inferiorumue, sed ex publica utilitate, salute communi, imperiique vi & praerogatiua metiamur. Quemadmodum Summum mundi Gubernatorem ex maxumis suis beneficiis erga nos, non ex tonitru, ex chasmate aut grandine contemplamur: victoriamque ex pace, ex opibus, gloria & tranquillitate, quae eam consequuntur, non ex sanguine, vastatione, damnationibus & proscriptionibus, quibus solet ad eam tamen perueniri.* Interim ne haec responsio nostra nimis sit generalis, ex ALCIATO notabimus *publicam utilitatem* modis considerari quatuor. I) Cum in vniuersum & particulariter commodum aliquod affertur, sic in iusta sacerdotum magistratumque ordinatione salutem publicam consistere docet *l. 1. §. 2. ff. de I. & I.* Sic publice prodesse artem geometriae discere *l. 2. C. de malef. & mathem.* dicitur. II) Quae in vniuersum conducit, licet non profit singulis; sic, v. g. quia de fisco locupletando agitur, publica vtilitas circa praestationes & naturam tributorum versatur. *l. pen. C. de Primipil. L. XII.* III) Vtilitas proprie quidem & in se spectata priuata, sed ex qua publica consequitur. Sic ICti docent: publice interesse, vt ciuitas repleatur hominibus liberis, item vt dotes mulieribus conseruentur, quoniam id, quod exinde consequitur, in vniuersum prodest. IV) Publicae vtilitati tribuitur illud, quod, quoties obtinetur, licet in vniuersum quemlibet particulariter non iuuet, singulis tamen prodest. Sic vulgo dicitur, *publice interesse, ne quis re sua male vtatur, §. penult. Inst. de his qui sui vel alien. iur. sunt.*

considerantur quatenus *membra* sunt *vnius reipublicae*, sed quatenus inter se *vt singuli* tale quid libere agunt, quod etiam, si *in statu naturali* adhuc essent, licite inter se agere possent, quorsum varia *commerciorum* genera, & reliquae *res merae facultatis* pertinent. Nam vt recte ait aeui huius Papinianus, Illustris D. D. BOEHMER *in iure publico vniuersali Part. Gen. c. II. §. IX. litt. n. licet omnes actiones ciuium subordinatae esse debeant saluti reipublicae, hoc scilicet sensu, ne contra pacem ciuilem tentetur aliquid, propterea tamen omnia non sunt vnius eiusdemque naturae;* quare porro quam primum iam *iuris publici obiectum materiale* examinas, mera offendis *negotia publica*, seu quae *necessarium respectum habent ad exercitium administrationis reipublicae regimenque publicum.* Neque enim qui de iure ferendi leges, de magistratibus ordinandis, de regalibus, de pace & bello &c. differit, aliter ciues spectare potest, quam in nexu suo cum Imperante, aliter Imperantem, quam in nexu suo cum subditis. Et haec ipsa *obiecti qualitas* in caussa est, cur hodie apud Iureconsultos Leges ad *ius publicum spectantes*, quia *sanctiones* sunt *Principis populique auctoritate, ea intentione, vt perpetuum robur, sanctitatem & inuiolabilitatem habeant*, DE PVBLICO CIVITATIS STATV, OB SALVTEM PVBLICAM, *latae & promulgatae*, in genere *Sanctiones Pragmaticae* dicantur (y).

§. VII.

(y) *Πράγματα* enim apud Graecos dicuntur *caussae publicae*. *οἱ τὰ πράγματα ἔχοντες* primates sunt, qui res publicas administrant. Quare Patres in Concilio Constantinopolitano III. ap. HARDVIN *T. II. f.* 606. ita alloquuntur Principes *εὐσεβέστατοι τῶν πραγμάτων δεσπόται*, *Piissimi rerum publica-*

§. VII

VII. Ex duratione vtriusque iuris.

Haec ipsa *obiecti qualitas* peperit *nouum discrimen inter ius publicum & priuatum.* Scilicet *leges ciuiles* scribuntur prouti id fert necessitas reipublicae, vnde & obrogatur illis, & derogatur, quin immo etiam ipsaemet abrogantur iterum pro lubitu & voluntate legislatoris, suadentibus mutationem variis circumstantiis loci, personarum, temporis; ita vt *clausula legis perpetuae,* qua forte munitae sunt, nihil prorsus hic operetur. Sed non ita se res habet cum *legibus publicis.* Etenim hae, vti fundamentum sunt iurium inter Imperantem & subditos omnium, & *in conspectu necessariae connexionis rerum ad statum publicum facientium consistunt, ideoque immutabilem rerum faciendarum cum Publico conformitatem declarant*, vt probe obseruat Becmann. *in medit. Politic. c.* 13. §. 9. ac regulariter, ceu supra §. 3. docuimus, communi pacto nituntur, omnis mutationis sunt expertes. Nam quod de Barbaris Regibus Salustius *de bello Iugurth. c.* 113. extulit, *plerumque regias volun-*

publicarum domini. Quare porro rescripta in publicis caussis exarata Θεῖα πραγματικὰ ap. Hardvin. *T. II. f.* 437. *litt. E.* πραγματικοὶ τύποι *in Libr. Basilic. T. I. f.* 110. 111. *Leg.* 23. 24. vel etiam πραγματικὰ βασιλικὰ nominantur. Licet secundum mentem iuris Romani nomen Pragmaticarum Sanctionum in genere competierit Rescriptis Imperatorum ad cuiusdam vniuersitatis, vel officii publici preces, de caussa publica, praeuio consilio sanctiori, pleniori stilo editis. *l. 7. C. de diuers. rescript.* Obseruationem hanc totam fere debemus primario aeui nostri Iureconsulto Illustri D. Boehmero, cuius egregia exstat *dissertatio de sanctionum Pragmaticarum indole & auctoritate.*

voluntates, vti vehementes, ſic mobiles, ſaepe ipſas ſibi aduerſas eſſe, id in Principe bono & Chriſtiano, cumprimis tunc, vbi de eo agitur, quomodo *virtute & prudentia* reipublicae ſtatus obſeruari, robur eius confirmari, opes amplicari queant, locum habet numquam; Praecipue cum, vt recte ait laudatiſſimus BECMANNVS *in Politic. Parallel. c. 13. §. 8. Principem, etiamſi hic titulus legum non eſſet, perpetuo ſeruare oporteret iſtud vinculum, quo reſpublica cohaeret; neque leges huiusmodi magis ei praeiudicent, quam ipſe repraeſentandi rempublicam actus; nec is ea propter vel inferior ſit, vel ſubiectionem aliquam induat; verum leges has ſi obſeruet, non aliud doceat, quam veram ſe eſſe imaginem reipublicae, & eas, ſi non obſeruet, non ideo plus poteſtatis accipiat, ſed eo ipſo a debito repraeſentandi rempublicam officio recedat.* Valent igitur perpetuo *leges fundamentales*, niſi ab vtraque parte nouum, eumque *plenarium* acceſſiſſe conſenſum de lege mutanda vel abroganda fingas. Dico *plenarium*. Nam licet, vt in ſuperioribus dictum, *in lege ciuili priuata* vel immutanda, vel tollenda, in republica Populari aut Ariſtocratica maiora vota valeant, ea tamen nec in tollendo iure ex priuilegio quaeſito in detrimentum priuilegiati, nec in abroganda *lege fundamentali* locum habent. LIMNEVS *iur. publ. L. IX. c. 1. n. 184.* ceu etiam recte quondam Proteſtantes in Germania monuiſſe nouimus ex actis ap. LONDORP. quae citat PFEFFINGER *ad* VITRIAR. *Ius. publ. L. IV. tit. 1. §. 81. litt. a. p. 394.* Neque difficile eſt perpetuae durationis *legum fundamentalium* rationem reddere. Finge enim *Rempublicam*, ponis mox plures, qui ita vnierunt voluntates ſuas, vt idem iam velle & nolle in omnibus adſit, nec quiſquam eorum amplius in *ne-*

gotiis ad societatem communem spectantibus *priuatam* habere *voluntatem* intelligatur. Vnde etiam Respublicae significanter *personae morales aut mysticae* dicuntur. Iam autem nil magis naturale est, quam vbi *obligatio in persona est radicata*, qualis est in omni *lege fundamentali*, vt ea subsistat tam diu, quam diu *persona* subsistit. Quod si igitur iam naturam ciuitatum contemplamur, deprehendimus, populum omnem, qui ex post facto ciuitati accedit, quam diu ciuitas in statu ciuitatis permanet, semper ei ita accedere, vt in se recipiat *obligationem* eorum, qui primi rempublicam condiderunt, ac per consequens ceu *idem* manet *populus*, sic *eamdem* semper manere *obligationem*; id quod egregio exemplo fluminis aquarum decursu assiduo non mutati ostendit ARISTOTELES, cuius illustrationem post alios exhibet IOHANNES GRYPHIANDER *in tr. de insul. c.* 14. Inde recte a Politicis dicitur, *Respublica non moritur:* Quod ipsum etiam adeo verum est, vt, licet mutaretur *reipublicae forma interna*, tamen, quia *ciuitas eadem* manet, id est, compages & structura reipublicae adhuc cohaeret (z) pristina maneret *obligatio* in republica ipsa radicata, ossibusque eius, vt veteres dixerunt, inhaerens. Vnde Athenienses post eiectos Oligarchas triginta recte indicarunt, se adhuc debere pecuniam ipsis a Lacaedemoniis creditam; BOECLERVS *in diss. de actis ciuitatis Opp. p.* 864.

(z) Qui enim *ciuitatem* nominat, numquam intelligit multitudinem hominum sine ordine imperandi & parendi, qui spiritus quasi est, vnde ciuitatis perfectio repetenda Hic ordo autem manet, quam diu ciuitas subsistit. Vnde aliud mutari ciuitatem, aliud tolli & dissolui eamdem. *Formae* enim ciuitatum *accidentales* sunt, *Ordo imperandi & parendi* autem *essentialis* est.

864. id quod dum praeter rationem negauit ARISTOTELES *L. III. Polit. c. 2. 3.* nominis sui memor fuisse non videtur, & recte ideo notatus fuit a GROTIO *de Iure belli & pac. L. II. c. 9. §. 8.* & laudato BOECLERO. Hoc omne vero cum *mutata* etiam *reipublicae forma* verum sit, multo magis verum esse debet *forma reipublicae eadem manente.* Nam quando Imperans moritur, adhuc post mortem eius obligatum manere populum longe minus dubii habet; hoc ipso vero in obligatione manente, cum nouus surrogatur Rex, surrogatur is ita, vt abeat in obligationem eamdem, qua obstrictum cernimus populum ipsum. Neque enim, nisi hoc fieret, *vna* amplius esset *voluntas in republica*, & vbi haec *vnitas voluntatis* cessaret, Respublica non amplius foret *vna persona moralis, vna societas*, sed, vt verbo dicam, *respublica* foret *nulla*. Quare operam ludere mihi videntur omnes illi, qui cum TABORE *in tr. de obl. Successor. c. V. Opp. Vol. 1. fol. 199. sqq. Successorem factis Antecessoris sui in negotiis Reipublicae caussa susceptis*, qualia sunt renunciationes, cessiones, donationes, instrumenta pacis, foedera, guarantiae, vno verbo, pacta publica omnia, *obligatum esse* excogitatis captiosis distinctionibus, negant, in quibus refutandis iam GROTIVS *de I. B. & P. L. II. c. 14. §. 11.* ZIEGLER *de Iurib. Maiest. Ex. IV. th. vltima* & plenius D. DE LVDEWIG edito integro opusculo bonae frugis pleno, quod *VIII.* est *L. I. P. I. Operum Eius Academicorum* laborarunt. Quae ipsa etiam sententia quam paci & tranquillitati Rerumpublicarum ac liberorum populorum sit aduersa, videant alii. Neque vero (vt in viam, a qua defleximus, reuertamur) quae *de immutabilitate legum fundamentalium* modo dicta fuere, temere quis ad Germaniam applicabit. Prouti enim *ius publicum Germanicum* haut raro recedit a re-

 gula

gula, ob *formam Imperii irregularem*, vel, ſi nomen hoc offendit quempiam (quamuis cur offendat alios, cauſſa adſit nulla) (aa) *mixtam;* ita etiam nullam apud Germanos deprehendimus *legem fundamentalem*, a qua non receſſum ſit ſaepius & multoties. Sic quem fugit, quot capita *Aureae Bullae* mutata hodie ſint? conf. BRVNNEMANN *de mutat. Aur. Bull.* Quem latet, quoties ſit impune receſſum ab ipſa *pacis publicae ordinatione*, quae tamen palladium eſt internae tranquillitatis atque ſecuritatis? Quis ignorat, quam id ſit iuris controuerſi, vtrum Rex Bohemiae *ordinatione hac pacis publicae* teneatur? conf. WENCESL. XAVER. NEVMANN DE PVCHHOLZ *annotat. ad* SCHWEDERI *Introd. iur. publ. p. 17.* Quam crebro diſputatum fuiſſe a viris eruditis legimus, vtrum Status Imperii ſtatuere aliquid poſſint in ſuis prouinciis contra *leges vniuerſales* in comitiis latas, & communi ſuffragio approbatas, quas vulgo *Receſſus Imperii* dicunt? conf. THO-

aa) Neque enim ideo *monſtroſam* nominamus cum PVFENDORFFIO *rempublicam Germanicam*, ſi vel maxume eam dicimus *irregularem*, quia a decempeda, qua ARISTOTELES emenſus eſt Respublicas, recedit. Vnde exiſtimamus, aliam eſſe quaeſtionem *iuris publici*, vtrum *nexus ſyſtematicus reipublicae concinnus* ſit? aliam, vtrum ſit *regularis?* Prior affirmari poteſt, licet negetur poſterior. Nec negata poſteriore ſtatim ſequitur concluſio: ergo reſpublica ipſa eſt *monſtrifera.* Haec monſtra enim illi ſaltim in cerebro ſuo ſuſtinent, qui vel verae Politices ignari ad exemplum veterum illorum ſtultorum amaſionum ARISTOTELIS ſputum magni huius Philoſophi lingere pro ipſa Philoſophia habent, vel in re ſeria affectibus indulgere & Satyris ludere volunt, ceu vltimum de PVFENDORFFIO, Summo alias viro, lippis notum eſt & tonſoribus.

Thomasii *diſſ. de poteſtate legislatoria Statuum Imperii contra ius commune.* Conſultiſſ. D. Necker Unterricht in das Staatsrecht des H. R. R. *P. II. L. I. c. 3. §. 8. ſqq.* vtrum Imperator *ob periculum in mora* recedere a ſua *capitulatione* poſſit? Schweder *introd. ad ius publ. Part. Gen. c. II. §. 20.* Nevmann de Pvchholz *ad h. l. p. 14.* Immo quid non auſi ſunt, qui ſacrilegos Vaeiouis Romani dictatus clariſſimis Scripturae ſacrae decretis praeferunt, contra ipſam *pacem religioſam*, ſanctionem, quam ſanctiſſimam eſſe iuſſit ratio, quae nemini in ciuitate in conſcientias imperium tribuit, ſed hoc *ad Reſeruata Diuinae Maieſtatis* iure meritoque refert? quid non ab impietate actum, vt *pacem Weſtphalicam* furiali veneno obliteratum eat? quid non ſiniſtri loquitur fatalis illa *clauſula articuli IV. pac. Ryſuic.* quam hactenus Corpus Euangelicorum abrogari fruſtra a Caeſare, fruſtra a ſuis Conſtatibus Pontificiis, fruſtra a fideiuſſore Pacis Weſtphalicae, Rege Galliae, flagitauit? quas mutationes tamen omnes non in *legibus priuatis*, ſed in *legibus publicis* eueniſſe credo palam erit (bb). conf. Illuſtris D. D. Boehmeri laudatiſſima diſſertatio *de Sanctionum Pragmatica-*

 rum

(bb) Quamuis forte illud dicendum ſit, aliquam partem mutationum in legibus fundamentalibus Imperii Germanici factarum exinde venire, quoniam ne vnam quidem *Sanctionem Pragmaticam* ſcriptam habent Germani, quae meras *res publicas ſtatum imperii publicum eiusque adminiſtrationem concernentes* tractet, ſed iis omnibus admixta ſunt multa, quae partim ad *negotia priuatorum*, adeoque ad *ius priuatum* ſpectant, partim *de rebus tranſitoriis* diſponunt, quae vltima licet tunc temporis, cum ſancirentur, *ad ſtatum publicum imperii* ſpectauerint, tamen iam obtento fine, mutatis circumſtantiis, elapſo tempore antea praefinito &c. valore ſuo carent;

rum indole & auctoritate, vbi *per integrum cap. II.* oftenditur, *naturam legum Pragmaticarum omnibus his iuris publici Germanici capitibus conuenire.* Quibus exemplis confit, nihil effe adeo fancte excogitatum, mutuis pactis & ftipulationibus munitum, legibus fundamentalibus aeterni valoris ergo annumeratum, contra quod frontibus aduerfis, cauillationibus impudentiffimis, cum fummo ludibrio & dedecore omnis eruditionis, non audeat agere mortalium infraenata licentia. Equidem quando hactenus *de immutabilitate legum fundamentalium* dictum, id intelligendum neutiquam, quafi nullo vmquam tempore mutatio in iis fieri queat. *Nihil* enim *magis naturale eft, quam vt, quae mutua voluntate hominum fanciuntur, mutua etiam eorum voluntate iterum tollantur*; vtque *in commodum Reipublicae tendere debent leges omnes*, ita iuftum eft, vt quando *publica ciuitatis vtilitas* aliud fuadet, illud, quod ftatutum antea, abrogetur iterum; quo ipfo poftea euenit, vt quatenus *lex fundamentalis* mutatur in iis, quae *ad formam reipublicae* pertinent, eatenus etiam ipfa quoque *ciuitatis forma* mutetur, licet non tollatur illico, multo minus vero definat & diffoluatur totus nexus ciuium (cc).

§. VIII.

(cc) Qui in *iure publico* tradendo a more pedariorum Doctorum recedunt, diftinguere folent inter *Formam* fiue *Statum Reipublicae*, & *Modum adminiftrandi Rempublicam ipfam*, tantumque hic difcriminis deprehendunt, quantum inter *rem ipfam* & *modum rei* intereft. Quae enim *Reipublicae formae & ftatui* debentur, efficientiam habent ἀρχηγικὴν, & αὐθεντίαν neceffariam, atque hinc falua *Forma*, fiue faluo *Statu*, mutari poffunt numquam: Sed quae ad *modum adminiftrandi & gubernandi Rempublicam* pertinent, vicaria funt, aut inftrumentis, adiumentis, fubfidiis, minifteriis deftinantur,

§. VIII.

Sed nec ea differentia silentio est praetereunda, quam alii in eo quaerunt, quod *leges publicas simpliciter & absolute interpretari* non possit quisquis sit Iurecon-sul-

VIII. Ex restricta magis in iure publico interpretando licentia.

nantur, quibus neque necessitas talis, neque efficientia talis tribui potest, etiamsi *consuetudinis simplicis* (id est talis, quae legis auctoritatem aduersus Legislatorem, & praeter voluntatem Legislatoris vindicare sibi nec potest, nec debet,) *habitum* induissent; quare etiam *salua vna eademque forma* plus vice simplici mutari possunt. Interim ea differentia insignis est, quae post mutatam formam reipublicae inter *ius priuatum* & *publicum* emergit. *Illius* enim vsus regulariter remanet, nisi expressa fiat abrogatio, *huius* vero mentio statim post talem mutationem amplius fieri nequit. Sic pulsis Roma Regibus multae *leges ciuiles* sub Regibus latae remanserunt, licet *iuris Regii* memoria omnis damnata fuerit; & vicissim veteri *statu populari* sub Augusto eiusque Successoribus abrogato proscriptum quidem sensim sensimque fuit vetusium *ius publicum*, quatenus illud de iuribus populi in comitiis calatis, de Senatus auctoritate, de potestate Tribunicia, de Augurum & Pontificum priuilegiis &c. agit, numquam vero abrogatae Leges XII Tabb. potius quicquid ex iis *priuati iuris* erat, populo fere sine vlla mutatione & imminutione fuit relictum. Sic ob mutatam hodie rationem administrandi imperium, quae in posterioribus illis Codicis Iustinianei libris habentur, extra omnem vsum sunt, nec sine iniuria applicari Germaniae Principibus possunt. Quod ipsum ingens inter *leges* vetustas *publicas* & *priuatas* discrimen cum non obseruarint multi viri eruditi, qui patriae suae historiam & statum publicum explicare scriptis suis ausi sunt, *indignationem publicam* proprio suo iumento sibi attraxerunt, *martyres*que

status

ſultus, *priuatas* vero interpretetur, qui eas *applicat* Iudex, quique eas vel *in cathedra, vel ſcriptis exponit*, Doctor. Sed vt verum fatear, licet ſemper mihi recte monere viſus ſit HORNIVS *Iur. Publ. c. 1. §. 29.* RHETIVS *Iur. Publ. L. I. T. 1. §. 45.* SCHILTER *Iur. Publ. L. I. T. 2. §. 16.* prudentia ſumma *in iure publico interpretando* opus eſſe, *quia leges publicae plus ſingularitatis, quam priuatae habent*, tamen perſuaderi mihi numquam paſſus ſum, eſſe in hac diſtinctione aliquid ſolidi. Potius rem omnem, *ad Logomachias eruditorum* abire ſemper exiſtimaui. Quod ſi enim recte ſcio, quid ſit *interpretatio*, ſique porro eam *collectionem dubiae mentis ex certis aut probabilibus ſignis & coniecturis* definire licet, arg. *l. 11. 12. ff. de LL. l. 45. §. 1. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* ego profecto non video, cur vel *in iure publico*, vel *in iure priuato* ius interpretandi legem Iureconſulto negari debeat? Qui enim in genere aiunt, *de legibus diſputandum non eſſe, quoniam alioquin multa ex his, quae certa ſunt, ſubuertuntur l. 21. ff. de LL.* nec id *bonae fidei congruere exiſtimant, de iuris apicibus diſputare, l. 29. §. 4. ff. mandat. l. 51. in f. ff. ad L. Aquil.* non tam in miſerrimam conditionem & ſtudioſos & doctores iuris detrudunt, quoniam iam non amplius *ſcire leges*, ſed vt *myſteria religionis credere* tenerentur; verum, quod mox vberius oſtendamus, *ſtatum controuerſiae manifeſto mutant.* Ita enim comparata ſunt iudicia hominum, vt quae vni clara & perſpicua videntur, alteri ſint obſcura, incerta, dubia. Vnde

ſtatus ſua imprudentia dicam, an temeritate? facti ſunt, de quibus pluribus agit D. DE LVDEWIG *in Praefat.* der Rechtlichen Erleuterung der Reichs Hiſtorie, & *in ſingularibus iuris publici c. 1. §. 29. p. 142. ſq.*

Vnde etiam DEVS numquam explicationem & interpretationem ſacrorum ſuorum oraculorum, quae tamen illud ipſum ſunt, quod omnium ſanctiſſimum eſſe debet, prohibuit. Quodſi iam haec dubia, hanc incertitudinem in homine *quoad negotia ciuilia* ſiue ſuſcipienda, ſiue iam ſuſcepta deprehendis, quis, quaeſo, ſcrupulos ei eximet, ſi omnibus in ciuitate iura interpretandi facultatem negatam credis? Inquies *relatione ad Principem facta* explorandam eſſe diuinam eius voluntatem. At ſic quidem Sacrum Principis Numen ſine cauſſa fatigabis. Nam praeterquam quod ipſa iubeat recta ratio, tunc demum recurrendum eſſe ad diuinum Principis oraculum, vbi nulla *σύνεσις καὶ δύναμις ἑρμηνευτικὴ* adiuuare poteſt iudicem, illud credo lippis conſtare & tonſoribus, *reſcripta Principum* in cauſſis priuatorum exarata temere pro norma perpetua a iudicibus haberi non poſſe (dd), quoniam ſatis notum eſt iuris

(dd) Prouti enim iam obſeruauit VLPIANVS *l. 71. ff. de R. I.* & *l. 9. §. 1. ff. de Offic. Proconſ omnia, quaecumque cauſſae cognitionem deſiderant, per libellum* id eſt reſcriptum Principis in gratiam ſupplicantis emiſſum, *expediri non poſſe*, & Traianus, Optumus Imperator, numquam ad libellos ſupplicantium reſpondere voluit; ita profecto, ſi vel maxume maturo iudicio Princeps reſcribat, citra expreſſam notam Reſcripto inſertam *legem perpetuam* eum ſcribere voluiſſe praeſumi non poteſt. Cum ſemper de bono Principe idem credendum ſit, quod de Opilio Macrino CAPITOLIN *in vit. eius c. 13.* refert: qui *fuit*, inquit, *in iure non incallidus, adeo vt ſtatuiſſet omnia reſcripta veterum Principum tollere*, VT IVRE, NON RESCRIPTIS AGERETVR. *Nefas eſſe dicens, leges videri Commodi & Caracallae, & hominum imperitorum voluntates, cum Traianus ad libel-*

ris axioma, *quod actus vltra intentionem agentis operatur nihil*; Praeterea cum vix duo casus in vita humana eueniant in omnibus similes, hoc ipsum *rescriptum* primo quouis casu occurrente non amplius allegari poterit. Nam vbi *respectu ad leges habito* negatum tibi est *ius colligendi mentem Principis ex certis aut probabilibus signis* atque *coniecturis*, negatum etiam tibi erit vel minimo suborto dubio, quae Princeps in alia caussa rescripsit, ad aliam caussam trahere. Necesse igitur erit, vt Princeps in iudiciis perpetuo sit praesens. Sed ita nullae amplius iudicis erunt partes. Itaque fatebor ego ingenue, quid sentiam: Quod si enim vmquam vera dixisse mihi videtur CICERO, tunc recte iudicauit, quando *L. VII. ep.* 20. *Iuris ciuilis* inquit, *quamquam plurimi libri sint, doctorem tamen lumenque desiderant.* Nimirum *doctrinalis interpretatio nec vmquam negata fuit, nec negabitur Iureconsulto*, quia & ad auctoritatem legum saluam seruandam sartamque multum confert, & forensibus litibus finem facit, animosque ciuium in illo litium pelago sedat, atque ad concordiam & pacem reuocat. Sed aliud est *legem ex regulis artis interpretari*, aliud *voce & auctoritate decretoria sententiam ferre*, a qua recedere nemini foret licitum. Hoc quam primum arrogat sibi Iureconsultus, Principis maiestatem laedit, limitesque officii sui transiliendo aeque dignas audaciae poenas in se prouocat, ac si *Iudaica*, vt ait glossa, *interpretatione* verborum proprietatem amplexus contra Legislatoris vo-

libellos numquam reponderit, ne ad alias caussas facta praeferentur, quae ad gratiam composita viderentur.

voluntatem niteretur (ee), vel aliis cauilationibus legi fraudem apertam inferret. *l. 5. in pr. C. de LL. l. pen. ff. ad exhib. c. 88. de R. I. in VI.* Vt enim exemplo Sacrorum Bibliorum pergamus, quamdiu Theologus ex *artis hermeneuticae regulis* ea interpretatur, tamdiu nihil agit, quod non muneris sui rationibus conueniat, quam primum vero infallibilitatem sibi vindicat, nec amplius argumentis, rationibus, syllogismis pugnat, sed in rebus fidei pro auctoritate definit & decernit, reliquosque omnes, qui eius dicta non ita adorant, quasi ex tripode essent prolata, *haereticos & schismaticos* nominat, ac vt tales damnat, arrogat sibi ius, quod ad *iura DEI maiestatica* pertinet, nec vsurpari ab homine sine sacrilegio, sine contemptu Numinis, sine violatione Diuinae Maiestatis potest. Et ex his clarum fit & perspicuum, quid nos *de praeiudiciis summorum tribunalium* (ff) sentiamus, quae quantaecumque sint auctoritatis,

(ee) *Interpretationem litteralem* glossa & eius basiatores dixerunt *Iudaicam*; *gloss. ad l. 18. §. 6. ff. de damn. inf.* CARD. TVSCH. *practic. quaest. T. IV. concl.* 332. *litt. i.* ALEX. *cons.* 144. exemplo desumto *ex more interpretandi* apud Iudaeos recepto, quem hinc inde in sacris Noui Foederis litteris carpere ipsum Saluatorem nostrum nouimus. Lepida enim glossa in verbis, allegoriis & similibus, vt merito dolendum, viros tanti ingenii incidisse in eam temporum barbariem, vbi destituti a praesidiis humanitatis, earumque disciplinarum, quae interpretem ornant & iuuant, non melius mereri de legum studio potuere.

(ff) Quaestionem ipsam recte iam definit Illustris HOIERVS, noster in munere Professorio Praedecessor, *in Diss.* qua *Ideam ICti Danici* adumbrauit *c. III.* §. 10. & ante eum D. GRIBNERVS *in Diss. de Obseruantiis Collegiorum Iuridicorum.* Nec de veri-

tatis, vim iuris perpetui tamen obtinent numquam; quia quam primum talem *leges interpretandi vim* adfe-ctat iudex, quae aliis normam agendorum perpetuam faciat, *leges non amplius declarat, sed fert.* Itaque in omni hac quaestione eo erit recurrendum, vt distinguamus inter *actum*, secundum quem Iureconsultus *de iure differit*, quod fit in *interpretatione*, & eum, quando

veritate rei dubitandum, dummodo consideremus, iudicem *in munere publico personam priuatam* manere semper, diuersum vero prorsus esse *ius, quod curiis & tribunalibus datum, a iure ferendi leges*, quod semper *maiestaticum* est, & ex *imperio* fluit, cum nulli tribunalium, qualecumque illud sit, plus quam *iurisdictio* competat. Fluit ex hac obseruatione alia, videlicet, quod criminis laesae maiestatis rei forent, si qui negare vellent, a *Summo aliquo Tribunali ad Imperantem recursum licitum esse.* Ita enim *Curias Supremas* facerent *independentes*; ita Monarchas insigni aliqua potestatis absolutae & omnimodae parte priuarent. Sed hi ipsi boni viri, qui forte talia somniant, vel non intelligunt, quale discrimen sit inter *remedium appellationis* & *supplicationis*, aut *reuisionis actorum*, cumque primum cum iure Supremae alicuius Curiae consistere non possit, mox etiam hoc sublatum existimant; vel cum ignarissimis ignorant, quae inter *rationes iuris* & *prudentiae* diuersitas sit, cumque Principes interdum legibus publicis, quibus *de ordine procedendi in iudicio* edixerunt, horum *remediorum* ex *singulari prudentia*, quia hominum altercandi libido tam facile iis abutitur, non fecere mentionem, illis etiam ne quidem *in caussis maxumi praeiudicii & damni irreparabilis* ex *iuris necessitate* locum dare volunt. Si homines vim linguae Iuridicae callentes ita loquerentur, dicerem *monorchomachica* haec esse *principia*, sed dandum est aliquid veniae argutiis his atque naeniis febrilibus, vbi earum auctores ex imperitia peccant.

do *contra ius differit*, quod fit vel *arguendo & taxando leges*, quasi cum aequitate vel salute publica pugnent, vel *controuertendo de eo, quod in se perspicue satis lege publica est decisum*, vel denique *statuendo aliquid in eius praeiudicium C. 36. X. de sentent. excom.* Et in eo conueniunt Legislatores, quotquot iurium suorum probe memores fuere, omnes. Nam & ipse Iustinianus M. *ne quis legum suarum commentaria scribat* prohibuit *in constit. de Confirmat. ff. edit. 533. §. 3.* conf. D. DE LVDEWIG *in vit. Iustiniani § XX. n. 133. 134.* & *l. 3. C. de Crim. sacrileg.* illum *sacrilegii reum* iudicat, qui de principali iudicio disputabit, licet utraque lex *ius explanandi vel illustrandi leges* Iureconsultis nec auferat, nec auferre possit, nisi, quod ineptum foret, omne *iuris studium* (pro quo augendo amplificandoque tantopere sollicitus fuit optumus Imperator, cuius ossibus ob hanc solam caussam mollem terram & dulcissimam requiem saepius iterumque precor) illis sublatum dicas. Idem factum deprehendimus in Germania, in illa salutis publicae anchora & securitatis palladio, *pace* scilicet *Westphalica*, cuius *art. 5. §. 49. 50.* itidem *artic. 8. §. 1.* Doctores disertis verbis prohibentur, ne eorum vllus interpretari hanc sanctionem audeat, vtut nec Caesaris, nec Statuum iura satis tuta forent, *si verum eius sensum declarare & rationibus munire liceret nemini*, ceu ipsi paciscentes probe intellexisse videntur *art. 17. §. 2.* add. MEVII *Decis. P. I. dec. 67.*

§. IX.

Longe vero certius est illud *discrimen*, quod quoad applicationem *inter Leges publicas & priuatas* intercedit. Sicu- *IX Ex applicatione iuris vtriusque.*

Sicuti enim ſupra iam quaſi indice digito oſtendimus, *leges priuatas* in *cauſſis publicis* allegari non poſſe, ita profecto nec *leges publicae* in *cauſſis priuatis* allegari poterunt. Nam vt nihil iam dicam, quomodo *ſanctitate peculiari* prae reliquis legibus polleant *Pragmaticae Sanctiones*, neque ea repetam, quae *de perpetua atque aeterna earum auctoritate* iam fuere inculcata, licet & id, ſi quid recte intelligimus, momentum non minimum cauſſae noſtrae addere poſſit, quoniam omnino *ius de priuatorum litibus & negotiis diſponendi arbitrio Principis relictum ſemper manere debet*; hoc potiſſimum curate perpendendum eſſe arbitror, & iuſta lance ponderandum, quod hae leges *ad publicam tranquillitatem ordinandam, atque totius reipublicae compagem componendam latae ſint*. Iam autem multa *in cauſſis publicis vtilia*, immo *neceſſaria* eſſe poſſunt, quae ſi *ad priuatas lites cauſſasque* applicarentur, non ſolum omni prorſus vtilitate deſtituerentur, verum haut raro ciuitati ipſi exitioſa forent. Sic v. g. lex quae prohibet, ne patrimonia Regum & Principum vmquam diuidantur, ſed vt penes ſolum primogenitum filium totum maneat cum imperio patrimonium, item lex ne Principes filiae nubant exteris, neue ipſae, cuicumque nupſerint, vltra dotem ex hereditate paterna accipiant, & plures aliae ſalutares ſunt, ſi ad Regna & Principatus reſpicimus, at forte tales eſſe deſinunt, quam primum ad familias priuatorum oculos intendimus. Cui ipſi quidem argumento addi poſſent plura, ſi modo in re adeo perſpicua opus eſſet conglomeratis multis argumentis & in aciem quaſi productis iuris rationibus pugnare, nec rei veritas tam manifeſto in ſenſus incurreret. Sed in-

quies forte, fieri tamen *promulgationem legum fundamentalium*, adeoque praesumendum esse, eas subditis omnibus etiam agendorum omittendorumque normam fieri. Ast *promulgationem* legem non tam facere, quam declarare palam esse arbitror. Ecquis enim est, qui non cernit, *Principis voluntatem solam* esse atque *vnicam normam*, quoties *auctoritas & potestas legum* dimetienda est atque examinanda. Iam autem quae Principis voluntas sit, aut ex dictis & factis eius, aut ex negotii ipsius indole & natura discimus. Sed quis, amabo, affirmabit temere, Principem, dum v. g. *publicam in Regali Sua Stirpe successionem* ordinauit, dum iura primogeniturae introduxit, dum foeminas Principes exteris maritis nuptas exules in hereditate Regni scripsit, (qualem legem in Lusitania rogasse dicitur Rex Eduardus, sicuti ex LOBKOWIZIO refert D. DE LVDEWIG in der Erläuterung des Herrn von Pufendorf Einleitung zur Historie *c. III. §. 4. p. 464.*) non voluntatem suam ita restrictam esse voluisse, vt hae ipsae *sanctiones* non vlterius, quam *quatenus Augustam domum* concernunt, *perpetuae sanctionis vim & robur* obtineant? Extendere igitur Imperantis mentem, quod fit, vbi de *Legum obligatione* in aliis negotiis, quam ad quae in prima legislatione erant directae, aliquid statuitur, quid, quaeso, hoc aliud est, quam vel *leges fingere pro lubitu*, vel certe *ab officio Iureconsulti* declinare? quippe quem bonum Medicum imitari oportet, qui non *magister*, sed *minister* naturae est. Quam enim facile id est ipsi Principi, vt, vbi *Leges Imperii sui fundamentales* etiam *ad caussas priuatorum* extendi vult, vnico verbo generalem huiusmodi clausulam iis addat, suaque legislatione definiat, quo quae *in publicis rebus* statu-

ſtatuta fuere atque ſancita, *in negotiis & cauſſis ſimilibus* cuſtodiantur, *vbique* ceu id olim interdum factum fuiſſe exemplum Imperatorum Theodoſii & Valentiniani comprobat, de quo teſtatur *l. 3. Cod. de Legib.* Et vt illud etiam addamus, niſi hoc fiat, quis, quaeſo, diuinabit, an non potius Imperantis haec ſit voluntas, vt, *quae in perſona Principis locum habent leges*, ab aliis in exemplum non trahantur? cum vtique iure id inuideri nequeat *diuinae Regum ac Principum Maieſtati*, ſi illi, cum *Sacroſancta Sua Progenie* iure aliquo ſingulari gaudere volunt in republica, quo ex ipſa etiam iuris diuerſitate *coeleſtis Regum & Principum character* eo magis eluceat, & in oculos omnium incurrat, animiſque inſinuetur veritas, *tantum a caeterorum mortalium conditione differre conditionem Principum, quantum iura publica differunt a iuribus priuatis* (gg).

§. X.

(gg) Non obſeruauit hoc, quisquis ſit, eruditiſſimus Auctor ſcripti nuper editi ſub titulo zufällige Gedanken von dem in denen ietzigen *Feudis* oder Lehngütern des Königreichs Dännemark Rechts begründeten *modo ſuccedendi.* Fruſtra enim contendit Vir doctiſſimus, quod *Lex Regia* a SACRATISSIMO MONARCHA FRIDERICO III. ſub auſpiciis *abſoluti dominii* AVGVSTAE DOMVI redditi ſcripta, in caſu, quo *de ſucceſſione* agit, etiam ad definiendas *cauſſas feodales* hominum conditionis priuatae ſortis allegari queat. Praeterquam enim, quod haec, quae in genere hactenus a nobis fuere diſputata, huic ſententiae obſtent, illud quoque non minimum facit ad eius oppugnationem, quod cum longe poſt CHRISTIANEVS CODEX publicatus fuerit, nihil huius *Sanctionis aeternae*, quod quidem *de ſucceſſione* ageret, *legum patriarum collectioni*

ab

§. X.

Varia hactenus *de differentia inter ius publicum & priuatum* diximus, sed restat tamen, quod hisce addi potest. Quae enim *iuris* sunt *priuati*, pro maxuma parte ita comparata sunt, vt etiam *extra ciuitates* ipsis locus esse possit, illaque forte non minus peragerentur, si numquam homines in respublicas abiissent. Sed quae *iuris publici* sunt, adeo *statui ciuili* propria esse deprehenduntur, vt vix extra eum peragi queant. Diximus maxuma ex parte, neque enim adeo supine rerum omnium ignari sumus, vt *ius priuatum* omne *statui naturali* conuenire existimemus. Ecquis enim in hac conditione *de restitutionibus in integrum, de Senatusconsulto Velleiano & Macedoniano, de Mohatra, de collatione bonorum, de πρωτοπραξία creditorum, de suitate, de damno infecto, de noui operis nuntiatione, de retractu* disputationem aliquam fore credat? quis *de actionibus & exceptionibus*, quis *de modo procedendi in iudicio, de appellationibus, de quaestionibus & poenis, de quibus omnibus in iure priuato* sermo fit, inter homines controuerti potuisse existimet, ante-

X. Ex diuerso vtriusque habitu, si extra ciuitates consideraret deberet.

 quam

ab AVGVSTISSIMO IVRIS ARCHITECTO fuerit insertum, quod procul dubio non omisisset PRINCEPS IMMORTALITATE DIGNISSIMVS, si *Constitutionis vniuersalis vim & robur* obtinere illam voluisset; praesertim cum feodatarii Comitatus & Baroniae iam tunc in Dania fuerint institutae. Quid quod REX ipse, dum *leges antea latas, neque Codici suo insertas* in *decisione caussarum* allegari prohibuit, huic sententiae non obscure contradicat. Speramus Virum Consultissimum hunc dissensum aegre non laturum, praecipue quod magni caeteroquin eruditionem eius, quae ex hoc libello luculenter patet, aestimemus.

quam ciuitates fuere conditae? Sed sunt tamen longe plura *priuati iuris* negotia, quae tam parum cum *statu ciuili* necessariam connexionem habent, vt si quis ea etiam in *statu naturali* fieri posse negaret, is nimis audacter aliquid assereret. Huc pertinet omnis fere doctrina *de pactis & contractibus, de sponsalibus, de dote, de matrimonio, de diuortio, de transactionibus, de euictionibus, de vsuris, de possessionibus, de seruitutibus praediorum, de instrumentis, de testibus, de probationibus, de arbitris, de pignoribus, de testamentis & successionibus ab intestato, de alluuionibus, de retentionibus & compensationibus, de quasi contractibus, de tutelis, de praescriptionibus, de iuribus patriae potestatis & imperii herilis, de emancipationibus, de manumissionibus, de vindicationibus, de thesauris, de inuentione, de occupatione*, & quae sunt sexcenta alia *iuris priuati* capita, quae ita *Statui naturali* conueniunt, vt supine ignarum esse rerum omnium oporteat, si quid aliud, quam *solemnia & formam externam*, negotiis his a *legibus ciuilibus* obtigisse arbitretur. Sed vbi *negotia publica* consideramus, quid dici poterit *in statu naturali de iuribus maiestaticis* omnibus? in quibus tamen explicandis totum fere *ius publicum* occupatum est. Num alia tunc *de bello & pace, de foederibus, de legationibus* erit disputatio, quam quae simpliciter *praecepta iuris gentium* respicit? Num aderit tunc *respectus* ille, qui iam *per constitutas ciuitates* hisce inditus est negotiis? Vix credo. Sane enim cum §§. *1.* & *6.* a nobis obseruatum sit, ex *constitutione ciuitatum* originem habere distinctionem inter *iura publica* & *priuata*, quicquid *liberae gentes* agunt, nec *priuati*, nec *publici negotii* nomine insigniri commode poterit, sed simpliciter *actionis* libe-

liberae nomen retinebit. Conſentientem habemus ſaepius iam cum ſummo honoris cultu laudatiſſimum D. Boehmer *Iur. publ. vniuerſ. d. c. II. §. 11.* Obſeruatio ipſa ſua vtilitate *in doctrina de Legatis* non caret. Hic enim non minus ille *priuilegiis & immunitatibus iuris gentium* gaudere debet, qui *ad mutuam pecuniam accipiendam, ad praedia coëmenda, ad contrahendas vel conciliandas nuptias* in ciuitatem aliquam ablegatus eſt, quam qui *de pace, de foedere, de mediatione, de guarantia* agit, licet poſtrema negotia iam in ciuitate *publica* ſint, priora *priuata.* Et quae, quaeſo, extra ciuitates erunt *iura collectarum fiſci & aerarii*, Quae *de territoriorum iure, de magiſtratibus & iudiciis ordinandis*, quae *de iurisdictionibus, legislationibus & comitiis* praecepta obtinebunt? Immo quid erit *ius ſacrorum* ipſum, niſi *cura, quam vnicuiuis patri familias vel naturalis vel reuelata religio inculcat?* Nulla hic *ſcholarum directio*, niſi quam *pater* quilibet, *in vſum familiae ſuae* peragit; nulla inter *perſonas ſaeculares & eccleſiaſticas* diuiſio, ſed quilibet *pater familias* erit & *herus* & *ſacerdos*, Vt alia iam taceam.

§. XI.

Verum enim vero iam forte iure ſuo poſtulant a nobis Lectores nostri, vt etiam *de conuenientia vtriusque iuris* ediſſeramus. Aſt praeter opinionem noſtram iam nimium creuiſſe libelli molem, & limites circularis diſputationis lege praeſcriptos & conſuetudine approbatos egreſſam eſſe cernimus. Itaque vt vela contrahamus, dicamus paucis, *conuenire vtrique iuri* quoad *finem* tam *vltimum*, qui eſt ſalus, pax ac ſecuritas reipublicae; quam *proximum*, qui eſt iuſtitia ex *Agitur de conuenientia inter ius vtrumque.*

 dex-

dextra applicatione ad facta obuenientia emergens; Atque hinc fit, vt praecipue in iure Romano, quae *iuris priuati* sunt, interdum ad *ius publicum* referantur (hh). Sic verbi gratia *l. 38. ff. de pact.* dicitur, *ius publicum priuatorum pactis mutari non posse*, licet, si curate examinemus, quidnam sit illud, quod nomine *iuris publici* hic indigitarit PAPINIANVS, ex cuius *L. II. quaest.* lex haec desumta est, facili negotio appareat, subintelligi hic nil aliud, quam *quod legibus communibus*, adeoque *priuatis*

(hh) *Iuris publici* esse dixerunt veteres Iureconsulti Romani vel quae ex Legibus XII. Tabularum descenderant, vel quae ita erant comparata, vt populo vniuerso in illis singulare quid tributum. Quae vltima ratio est, cur etiam *iudicia publica*, de quibus peculiares exstant in Institutiobus & Pandectis tituli, dicta alias *quaestiones publicae l. 2. §. 32. ff. de O. J.* LEGES PVBLICAS nominarint, *l. 1. §. 1. ff. ad L. Corn. de Sicar.* Quoniam quilibet e populo ad poenam laesae reipublicae debitam (nam in eo differebant a iudiciis popularibus, vbi quilibet ex populo ad poenam sibi applicandam agere poterat *l. 3. §. 1. ff. de popul. action.*) accusare regulariter in iis potuit, quod interesse putabatur, vt ea, quae magis exemplo noxia sunt in publicum, promptissime detegantur, & publica vindicta coërceantur: quod secus in delictis priuatis. Caeterum hoc significatu vocem *publici* eamdem vi sua & potestate esse, ac si dixeris *populici*, propter *Statum Popularem*, qui tunc, cum vox haec nata, apud Romanos obtinuit, obseruauit D DE LVDEWIG *in singul. iuris publ. c. 1. §. 2. p. 144.* Conferri hic potest ERICVS MAVRITIVS *in diss. de Principiis iuris publici Germanici c. 1. §. 7. Opp. p. 7.* vbi quotuplici ratione *publicum* aliquid dicatur fusius adhuc explicat.

uatis & *ciuilibus* eſt ſancitum (ii). Sic enim CONSTANT. HARMENOPVLVS in libro egregio, cui titulus πρόχειρον Νόμων vel ἑξάβιβλος *L. I. tit. 9. §. 17.* legem hanc Graece reddidit: διὰ ἰδιωτικȣ̃ συμφώνȣ τὸ κοινὸν νόμιμον ȣ̓κ ἐναλλάσσεται, illudque mox §. 21. vberius explicat his verbis: Σκοπὸς τῷ νομοθέτῃ τὰς κοινὰς νομοθεσίας τȣτέςι τὰς κοινῶς καὶ χρησίμως παντὶ εἰσαχθείσας, μὴ ἀνατρέπεσθαι ἀπὸ ἰδιωτικῶν συμφώνων, τȣτέςιν ἀπὸ τῶν ἀρεσκειῶν τȣ̃ καθ' ἕκαςον. Et, qui procul dubio optumus mentis ſuae interpres eſt, PAPINIANVS *L. XIII. Reſp.* ait: *Frater cum heredem ſororem ſcriberet, alium ab ea, cui donatum volebat, ſtipulari curauit, Falcidia vteretur, & vt certam pecuniam, ſi*

G 3 *contra*

(ii) Sane de *iure priuato* accipiendam eſſe regulam illam Iuris Romani *ius publicum priuatorum pactis mutari non poſſe* praeter alia, praecipue *l. 20. pr. ff. de religioſ.* euincit, vbi VLPIANVS ita ait: *Neratius quaerit, ſi is, qui dotem dederat pro muliere, ſtipulatus eſt, duas partes dotis reddi, tertiam apud maritum remanere, pactus ſit, ne quid maritus in funus conferret, an funeraria maritus teneatur? Et ait: ſi quidem ipſe ſtipulator mulierem funerauit, locum eſſe pacto, & inutilem ei funerariam fore, ſi vero alius funerauit, poſſe eum maritum conuenire,* QVIA PACTO HOC PVBLICVM IVS INFRINGI NON POSSIT. Et hinc eſt, quod, cum vulgo in ſcholis ICtorum doceri ſoleat: *fauori ſuo renunciare poſſe quemlibet*, limitatio tamen addatur, dummode lex *principaliter priuatam, ſecundario publicam vtilitatem* reſpiciat. Legi enim cuius ratio ipſa in *bonum commune principaliter, ſecundario in priuatum* tendit, renunciare ipſa vetat recta ratio. Qui molem teſtimoniorum in re tam perſpicua congeſtam cernere vult, adeat MARIVM GIVRBAM ICtum Meſſanenſem, *in repetitionibus de ſucceſſione feudorum inter aſcendentes & deſcendentes §. 2. gloſſa IX. n. 64 - 70.*

contra feciſſet praeſtaret: *priuatorum cautione legibus non eſſe refragandum conſtitit*, *& ideo ſororem* IVRE PVBLICO *retentionem habituram.* Locus ipſe Pandectis infertus *l.* 15. §. 1. *ff. ad L. Falcid.* exhibetur. Nec alia mens ſedit VLPIANO. Cum enim ille *L. XXXVI. ad Edict.* docere vellet: pactum quod inter ſe Magiſtratus faciunt, pupillo, cui ex officio obligantur, non nocere ordinis ratione, ſcilicet vt priore loco conueniatur Magiſtratus, qui in ſe periculum ſuſcepit, quam alius, his verbis in *l.* 1. §. 9. *ff. de magiſtrat. conuen.* vtitur: *Si inter Magiſtratus hoc conuenerit*, *vt alterius tantum periculo tutores darentur*, *conuentiones pupillo non praeiudicare Diuus Hadrianus reſcripſit*: *conuentione enim Duumuirorum* IVS PVBLICVM *mutari non poteſt.* Quis autem *legem Falcidiam*, *tutelas*, *actionem funerariam* ad *ius publicum proprie ſic dictum* referat? Sed longe clarius, quaenam mens PAPINIANO ſederit, diſcimus, quando *l.* 3. *ff. qui teſtam. fac. poſſunt* aſpicimus. Hoc enim loco, qui hauſtus eſt ex eius *L. XIV. quaeſtion.* ita pronuntiat: *teſtamenti factio* NON PRIVATI, SED PVBLICI IVRIS *eſt*, id eſt, vt recte obſeruat erudiſſimus in totum Corpus Iuris Commentator, DIONYSIVS GOTHOFREDVS, *ius teſtamenti factionis tribuitur cuique* IVRE PVBLICO ET LEGIBVS, *non priuatorum voluntate*, *nec enim pater filiofamilias*, *nec patronus liberto teſtamenti factionem praebet.* Quin immo teſte PAVLLO *libr. ſingul. ad L. Falcid.* alterum Legis Falcidiae caput modum legatorum conſtituit his verbis: *Quicumque ciuis Romanus poſthanc legem rogatam teſtamentum faciet*, *ii quantam cuique ciui Romano pecuniam* IVRE PVBLICO *dare*, *legare velet*, *ius poteſtasque eſto.* Deinde *alteram conuenientiam* deprehendimus *quoad vtriusque principia & fontes.* Licet enim

enim de *priuato* saltim *iure* dixisse videatur Imperator §. 4. *inf. Inst. de Iust. & iur. quod illud collectum sit ex naturalibus praeceptis, aut gentium, aut ciuilibus*, & VLPIANVM *l. 1. Instit.* exscribant Pandectarum Architecti in *l. 6. ff. de I. & I.* docentes *ius ciuile esse, quod neque in totum a naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei seruit; itaque cum aliquid additur vel detrahitur iuri communi, ius proprium, id est ciuile effici*, tamen multa demonstratione opus habere non existimamus, eodem iure id ipsum etiam de *iure publico* posse dici,(kk) ceu olim iam ostenderunt

(kk) Equidem si post ALCIATVM, CVIACIVM, BORCHOLTVM, TREVTLERVM, etiam VNGEPAVERVM audimus, is *in Exerc. Instin. qu.* 14 differentiam *priuati* & *publici iuris* in eo quaerit, quod hoc collectum duntaxat sit *ex iure gentium & ciuili*, illud vero etiam praeter duplicem hunc fontem *ex iure naturae* descendat. Sed praeterquam quod minus recte VNGEPAVERVS cum vulgo Doctorum *ius naturae* a *iure gentium* distinguat, ceu iam contra eum monuit Illustris D. BOEHMER *in iure publ. vniuers. part. gener. c. II.* §. 18. *litt. y.* error hic ab eo commissus exinde venisse mihi videtur, quod is non distinguat inter illud, quod *in statu naturali* locum habet, & illud, quod *ex iure naturae*, id est, ex dictamine rectae rationis descendit. Quodsi enim hoc fecisset, facili deprehendisset negotio, multa *iure naturali* introducta esse, quae *in statu naturali* locum non habent. Quorsum v. g. pertinet introductio *imperii ciuilis*, quo *omnis status naturalis* sublatus. licet ipsa *recta ratio ciuitates* condiderit, & *in respublicas* abire homines iusserit. Nec melioris farinae est LOCCAMERI argumentum *in quaestionibus Iustinianeis qu.* 6. quod tamen firmissimum appellare non dubitauit BICCIVS *in Praef. rer. quotid n* 32. quod scilicet *ius publicum ex praeceptis iuris naturalis* collectum esse non possit, quia *ad statum peculia-*

runt MYNSINGER, HOTOMANNVS, VINNIVS aliique Dd. *in Schol. ad Instit. L. I. t. 1.* §. 4. SAMVEL RACHELIVS *in Introd. in ius publ. c.* 2. BACHOVIVS *in not. ad* TREVTLER *Disput. I. thes. 3. litt. B. ad verba: adeoque nec naturale p. 11.* &, qui instar omnium esse potest, ERICVS MAVRITIVS *in diss. de principiis iuris publici Germanici c. 3 §. 2.--8. Opp. p. 25. sqq.* Neque minus *tertio* in ipsa *vtriusque iuris diuisione a modo illud cognoscendi desumta* noua & notatu dignissima *conuenientia* adest. Prouti enim *ratio* non producit *legem vt legem*, sed *vt effectum suae efficaciae innominatum*, qui *effectus* demum *a scopo vtentium* denominatio-

culiarem ciuitatis cuiusque spectat; nam vt recte iam monuit VITRIARIVS *in Instit. iur. publ. L. I. tit.* 2. §. 1. obiectio haec BICCII non magis *ius publicum* ferit, quam *ius priuatum*, quod ipsum tamen *ex iure naturali* collectum esse BICCIVS negare ausus est numquam. Quid quod nec acutissimus ICtus GEORGIVS FRANTZKIVS prorsus nobiscum sentire videatur. Ita enim ille *in Com. ad Instit. de Iust. & Iur. §. fin. Licet*, inquit, *&* PVBLICVM IVS *principia sua suo modo a iure naturae dependentia habeat -- -- non ideo tamen* ITA VT IVS PRIVATVM EX NATVRALIBVS PRAECEPTIS COLLECTVM DICI POTEST. Sed quam venerabile etiam nobis sit FRANTZKII nomen, nemo non videt, in errore cubare virum caeteroquin eruditissimum. Quod si enim haec eius sententia fuit, *omne ius priuatum ex naturali iure collectum esse*, falsitatem eius iam ostendimus §. 10. vbi multa iuris capita adduximus, quae sunt *iuris mere positiui & ciuilis*. Sin autem quaedam saltim *positiui iuris* capita huc referenda censuit, idem affirmari *de iure publico* posse ex *naturalis & publici iuris collatione* patet. Caeterum illud in disceptationem non venit, *vtrum ius* plus *ex iure naturali* mutuarit,

nationem ſumit, & vel *ex expreſſa* vel *ex tacita Legislatoris voluntate* hauritur, ita profecto quod VLPIANVS *dict. l. 6. §. 1. ff. de I. & I.* docet, *ius conſtare aut ex ſcripto, aut ſine ſcripto, vt apud Graecos τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι*, id ad *priuatum* aeque ac *publicum ius* applicari poteſt. Neque enim *conſuetudinum* in foro & *cauſſis ciuilibus* maior eſſe poteſtas poteſt, quam quidem *obſeruantiae* in expediendis *rebus & negotiis Imperiorum atque Rerumpublicarum publicis decidendisque controuerſiis inter Imperantes & ſubditos ortis.* Quod nemini, qui vel a limine ſalutauit *ius publicum Germanicum* & *aliarum Rerumpublicarum*, in quibus *adducta imperii formula a longo tempore* obtinet, incognitum eſſe poteſt. Vnde propter ſolam *obſeruantiae vim* altero oculo carere dicitur Iureconſultus, qui a praeſidiis hiſtoricis deſtitutus eſt. Equidem quod ad originem huius diſtinctionis attinet, plerumque illa cum Imp. IVSTINIANO, ſeu rectius CAIO Iureconſulto, cuius Inſtitutiones maxuma ex parte e charta in papyrum retulerunt Tribonianus & ſocii, qui noui iuris fabricatores a Iuſtiniano nominati erant, a moribus duarum Graeciae ciuitatum Athenienſium ſcilicet & Lacaedemoniorum deriuatur. Sed mihi hic aliquid humani pati videntur plurimi Legum interpretes. *Scribere* enim *legem* apud Iureconſultos non eſt *legem conſignare litteris*, ſed *legem ſingulari promulgatione inſinuare ſingulis, vt cuiuis ea poſſit innoteſcere.* Vnde ſi rem ita ſumimus, reuera Lacaedemonii *ſcriptis* vſi ſunt *Legibus*: Quis enim neſcit, Lycurgum apud eos *munere legislatoris* functum eſſe? Licet in eo ſingulare quid fuerit, quod leges viua voce latas ſtatim a ſuis ciuibus memoriae mandari voluerit,

H neque

neque vmquam consignari in charta passus sit, recedens in eo a sententia Solonis, qui licet *viuae vocis ac memoriae scientiam mortuae scripturae* anteposuerit, *scripturam tamen aduersus obliuionis infirmitatem permisit* (ll). Rationem moris a Lycurgo obseruati si diuinare licet, addam, obseruatam, quantum memini, a paucis. Videlicet Lycurgus, prouti animi perspicacis erat, probe vidit, seueram, quam suos docuit, disciplinam, quamque, vt *diuinam institutionem*, sub promissione felicitatis reipublicae perpetuo duraturae (mm), populum seuere custodire iussit, breui interituram, vbi exteris ad ciuitatem suam pateret aditus, hinc, vt eos in vrbem irrepere volentes quouis modo abigat, omni nisu cauit. Quare forte leges nullas scribi voluit, vt aduentantes eo seuerius crebriusque castigari possint, quando contra leges, quas nullo modo discere poterant, necessario cottidie peccarent. Quod ipsum vtrum iustum sit, vel iniustum? nunc non discutiam. Coniecturam hanc suppeditauit mihi vsus *nummi coriacei*, quem introduxit, vt suos a commerciis cum peregrinis arceat; prohibita Lacaedemoniis peregrinandi licen-

(ll) Aliquid Lycurgo simile deprehendere licet apud veteres Germanos & Gallos. Certe in carminibus suis ediscendis Druides idem studium memoriae amplexos esse CAESAR *L. VI.* auctor est. Vnde forte TACITVS *plus apud Germanos bonos mores, quam alibi bonas leges valere* dixit. Licet locum hunc aliter eruditos nonnullos explicare meminerim.

(mm) Nec fefellit eum spes sua & opinio, cum per DCCC annos disciplina sua steterint Lacaedemonii, neque prius ab Achaeis deuicti fuerint, quam sublatis & antiquatis moribus pristinis.

licentia, aliaque odium hoc eius erga exteros ſpirantia. Licet forte etiam dici poſſit, nimium tribuiſſe ſuae ſapientiae Lycurgum. Hinc ne etiam aliquid felicitatis ex egregiis ſuis legibus & inſtitutis migrare poſſit ad exteros, quod in lege in ſcripturam redacta fieri poteſt facillime, neue peregrinis obtingeret, iisdem cum ſuis ſalutaribus praeceptis & monitis vti, morem hunc, contra vulgarem Leges ferendi ritum, ab eo fuiſſe introductum, quamuis caeteroquin adeo imprudens is non fuerit, vt carere poſſe ciuitatem ſuam *Legibus ſcriptis* id eſt *promulgatis* exiſtimauerit (nn). Sic etiam *quarto* eſt aliqua *inter*

(nn) Sane *legibus ſcriptis* opus eſſe in quauis ſocietate ciuili & republica, praeter multas alias, hae potiſſimum euincunt rationes, quod quidem *ius non ſcriptum ſeu conſuetudinarium* (I) ſaepe numero *ius iniquum* eſt. ceu id probat ingens multitudo *conſuetudinum cum ratione & honeſtate ipſa pugnantium*, quibus hinc inde reſpublicas infectas cernimus; Aſt *leges*, ſi quidem a bono Principe proficiſcuntur, *aequae ſunt & bonae*. Nam licet propter humanae indolis fragilitatem & ferri poſſint & latae fuerint interdum leges *ſecundum affectus Legislatorum*, quemadmodum Thomasivs *in naeuis iurisprudentiae Anteiuſtinianeae* exemplis quam plurimis ex iure ciuili id demonſtrat; & de Iuſtiniano Imperatore res eſt vulgo notiſſima, eum in fauorem foeminarum ſtatuiſſe multa ex ſuggeſtione coniugis ſuae Theodorae, a cuius nutu & arbitrio pendebat totus; quin immo pleraque a Patribus eccleſiae in Conciliis, & a Pontifice Maxumo *in iure Canonico* excogitata *Clericorum priuilegia* ex ſcaturigine hac pullularint; tamen *affectus in Legislatore* tantum reipublicae nocere nequit, quantum *infraenata populi licentia*, vbi alter alterum *in re affectibus grata* imitando actui non ſolum impunitatem, verum *vim conſuetudinis & obſeruantiae* conciliare

vtrumque ius ſimilitudo, quod ſicuti *iura poſitiua* omnia pro diuerſa ciuitatis & ciuium indole, moribus atque inge-

ciliare poteſt. (II) *Ius conſuetudinarium* eſt *nimis anguſtum*, & omnes diuerſos in republica occurrentes caſus continere aut decidere nequit, vnde *affectui iudicis* nimium relinquit, qui iterum reipublicae magis, quam *affectus in Legislatore* noxius eſt. Cum enim *leges* ſcribere in republica mox *vni*, mox *pauciſſimis* conceſſum ſit, *innumeri* ſaepe in ciuitate ſunt, quibus incumbit vi officii, vt *iudicando lites componant*. Iam autem facilius eſt *vnius vel paucorum affectus* rite emendatos ſperare, quam *plurium & multorum*. Accedit, quod *affectus in Legislatore* non ita facile diuerſitatem *iuris quaeſiti* inter ciues producant, quam circa *ius quaerendum* inaequalitatem ſtatuant, adeoque re curate penſitata per modum *gratiae & diſpenſationis*, qui modus *ad reſeruata Principis* omnino ſpectat, certis quibusdam perſonarum generibus aliquid largiantur; cum contra *affectus in iudice* faciant, vt inaequalitate cum ſociis eiusdem ciuitatis *in iure ium quaeſito* agatur, adeoque *iuſtitia* laedatur. (III) *Ius conſuetudinarium* eſt *nimis incertum & varium*, quia plerumque populi, quo nihil eſt mutabilius, conſenſu & auctoritate nititur. Vnde etiam diuerſae ſaepicule & contrariae conſuetudines deprehenduntur, quae iudicem, quam in iudicando ſequatur, incertum prorſus reddunt, quae *varietates & contrarietates conſuetudinis* nouum hoc incommodum pariunt, vt res ſit *difficillima*, immo, ſi Klockio *T. I. Conſ.* 28. *n.* 223. credimus, *impoſſibilis plane*, probare *conſuetudinem*, quod fieri tamen debet ab eo, qui ad eam prouocat, eamque pro ſe allegat; Et ſane egregium illud iurisprudentiae ſolidioris ornamentum, quo, ceu primario ſydere, hodie Wittembergenſium academia exornatur, Illuſtris D. Leyservs ingenue fatetur, in eruditiſſimis ſuis *Meditat. ad ff. P.* I. *Spec. IX. p.*87. ſe pauciſſima ſcire exempla eorum, qui *conſue-*

ingenio diuerſa eſſe ſolent, atque vnicuius ciuitati & reipublicae propria, ita tot diuerſa exiſtant *iura ciuilia priuata & publica*, quot ſunt ciuitates, respublicae & imperia. Ita vt ceu *leges ciuiles* Germanorum, Gallorum &c. in Dania ad *cauſſas priuatas* allegari non poſſunt, ſic nec *ius* noſtrum *publicum* extra Daniam quaerendum ſit. Quae ſola obſeruatio cum cognitio *iuris publici gentium Europaearum*, ob ſummum illud conſeruandi aequilibrii ſtudium, ex quo hodie *negotia publica* aeſtimari ſolent, quin immo dicidi atque definiri, *ad patrimonium*, vt ita dicam, *ſcholarum Iuridicarum* pertineat, illud docet atque euincit, quam multis doctrinarum praeſidiis exornatum eſſe oporteat Iureconſultum, vtque illi immanem prodant inſcitiam, qui in Iurium cultore nil praeter *cognitionem rerum forenſium, actionumque formulas, quas qui ſolas nouit, heros quidem in componendis bellis ſtillicidiorum & ſterquiliniorum eſſe poteſt, dignus autem Sacrae Themidis Antiſtes erit numquam*, deſiderant. Tandem *quinto* & illud in conſiderationem venit, quod quemadmodum *iuſtum citra leges nullum eſt*, & quae alii *de obligatione quadam ex intrinſeca actionum bonitate nata & antecedenter ad legem exiſtente* nugantur, mera ſunt ſomnia, (in quibus tamen confutandis iam prolixi eſſe non poſſumus;) ſic etiam *quid in rebus iure naturali non definitis iuſtum ſit in ciuitate, quid iniuſtum?* vtrumque ius pronunciet. Quodcumque enim cum illa *norma*, quam *priuatis negotiis* ſcri-

ſuetudinem probandam in ſe ſuſcepere, & probationem hanc ad finem feliciter perduxere. Quae omnia ſi curate perpendo, MATTHIAS BERNEGGERVS recte ad TACITI *German. qu.* 112. *ſq.* annotaſſe mihi videtur, *homines malis moribus infectos in ciuitate non, niſi* LEGIBVS SCRIPTIS, *poſſe emendari*,

ſcripſit *Legislator*, non conuenit, illud *ſecundum ius priuatum iniuſtum* dici meretur; & quod a *norma ciuitatis* in *actibus & negotiis publicis* recedit, illud ſecundum *ius publicum iniuſtum* pronunciamus, ac vice verſa. Quare tam *quoad ius priuatum*, quam *quoad ius publicum* quaedam *in vna ciuitate iuſta* eſſe poſſunt, quae *in altera pro iniuſtis* habentur. Sic in Dania nemo *iuſte ſcribit teſtamentum*, niſi impetrata a REGIO NVMINE venia, quod ſecus in Germania, vbi *teſtamenti factio eſt res merae facultatis*. Atque ita etiam cum, vti maturo iudicio dixit B. noſter PHILIPPVS MELANCHTHON *in Epit. Moral. Phil. DEVS omnes formas imperiorum rationi & naturae conſentaneas approbet*, in vno Regno fieri poteſt *iuſte*, quod alibi non modo *iniuſtum* dicendum foret, verum *a ſcelerum maxumo* haut abeſſet. Nam vt idem ait MELANCHTHON *diſſimiles formae fecerunt, vt alibi alii gradus libertatis ſint*. Conf. PVFENDORF *de Iur. nat. & gent. L. VIII. c. 6. §. 9.* Vnde iam *ſexto* patet, & quaenam *obligatio* incumbat omnibus, & quaenam *facultas agendi*, relicta cuiuis *in ciuitate* ſit, quid *ex iure*, quid *ex priuilegio*, quid *ex mera indulgentia & conniuentia* ab illis perſonis, ex quibus ciuitas componitur, agi queat vel omitti, quas *res* quilibet in ſua *poteſtate*, *dominio*, vel *vſufructu* habeat, quas non? neminem ſcire poſſe, niſi *vtriusque iuris* gnarus probe ſit & peritus.

§. XII.

Vtilitas hactenus dictorum in iuſta definitione iuris publi-

Sed ſi plura adderem, vereor, ne mores migrare videar, hinc heic ſubſiſtendum arbitror. Iam pridem enim videor mihi audire, occini nobis tritum illud: EST MODVS IN REBVS! Satis commodi igitur nobis erit

rit, si hac nostra opella id effectum, vt commilitones nostri discant, quam inepte illi agant, qui Germanicam denominationem ein öffentliches Recht, ein gemeines Recht *Iuri Publico* applicant, cum vtique haec appellatio etiam *iuri priuato* conueniat, vtque rectiori vocabulo Reichs Recht, Staats Recht dici, & ab iis, qui completam eius ideam dare volunt, definiri debeat, quod sit *regula immediate, directo & principaliter negotiis ciuitatis communibus, & ad statum reipublicae eiusque securitatem, gubernationem & conseruationem, intentione & executione spectantibus, conuentionibus vel expressis vel tacitis inter Imperantes & subditos initis praescripta, eorum, qui Reipublicae praesunt, Maiestaticum in ipsam ciuitatem & subditos cuiuscumque Ordinis ius, indeque promanantem potestatem legitimam definiens, adeoque ciuitatis statui vel in totum vel ex parte formam perpetuam tribuens, obligatione aeterna & vniuersali tam intuitu ciuium, quam exterorum munita.* Cum contra *ius priuatum* iam definiamus *regulam negotiis & rebus particularibus ciuium in republica auctoritate illius, penes quem est summum imperium, eum in finem, vt salua republica singulorum vtilitati atque securitati consulatur, praescriptam, actiones liberas eorum, qui vel ex pacto expresso, vel ex temporaria habitatione, in priuata, id est, subditorum conditione sunt, determinantem, adeoque perfectam ab iis obedientiam exigentem.* Quumque ille demum *Iureconsultus* dici possit, qui solida *vtriusque iuris scientia* instructus est, sola *vtriusque iuris* definitione euinci posse speramus, quam illi errent turpiter, qui, vt in prouerbio dicitur, monachum ex cucullo aestimare, & omnes, qui in foro versantur, vix triduum iura edoctos nomine tam honorifico, cui olim ipsi Recto-

ci & priuati formanda.

Rectores ciuitatum adſurrexere, (oo) inſignire volunt. Vtque legum ſtudium palladium eſt ciuitatis, iudicia bene ordinata aequitatis delubra, ſic rogamus DEVM, vt eam inſpiret iuuentuti academicae, quae legitmae ſcientiae ſeſe mancupauit, mentem, quo illud CICERONIS *L. I. de orat.* rite ſecum perpendat ſemper: *quid eſt praeclarius, quam honoribus & reipublicae muneribus defunctum poſſe ſuo iure dicere idem, quod apud* ENNIVM *dicebat Pythius Apollo, ſe eſſe eum, vnde, ſi non Reges & populi, at omnes ſui ciues conſilium expetant ſuarum*

rerum incerti, quos ego mea ope ex
incertis certos, compoteſque conſili
dimitto, vt ne res temere tractent turbidas.

SED IAM MANVM DE TABVLA!

(oo) Ex vetuſtis Hiſtoricis, quanto in pretio fuerint ICti ſi diſcere volumus, adeundus erit AELIVS SPARTIANVS *in vit. Hadriani Imp. c.* 18. LAMPRIDIVS *in vita Alex. Seueri Imp. c.* 15.16. 68. vt alios taceamus. Vltimum locum quin totum heic ex LAMPRIDIO referam, continere me non poſſum: *Vt ſcias*, ait ille, *qui viri in eius* (Alexandri Imperatoris) *conſilio: Fabius Sabinus, Cato temporis ſui, Domitius Vlpianus, iuris peritiſſimus, Aelius Gordianus, Iulius Paulus, Pomponius, Alphenus, Aphricanus, Florentinus, Martianus, Calliſtratus, Hermogenes, Venuleius, Triphonius, Metianus, Celſus, Proculus, Modeſtinus; Hi omnes iuris Profeſſores diſcipuli fuere Papiniani, &* IMPERATORIS FAMILIARES AC SOCII. HIS TOT ET TALIBVS VIRIS QVOD MALI POTVIT COGITARI AVT FIERI, QVVM AD BONVM OMNES CONSENTIRENT.

TANTVM.

❧ (o) ❧